6
20-b
35

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 G
39

Bibliotheca
[Ma]jori Coll. Rom.
Societ. Jesu
21-C-31

6-20-b-35

Amicorum Marini

RHENVS ET EIVS DESCRIPTIO ELEGANS,

A PRIMIS FONTIBVS VSQVE AD OCEANVM GERMANICUM: vbi Vrbes, Castra, & Pagi adiacentes, Item Flumina & riuuli in hunc influentes, & si quid præterea memorabile occurrat plenissimè carmine Elegiaco depingitur.

AVTORE D. BERNARDO MOLlero Monasteriensi.

Collegij Rom. Soc. Jesu cat. inscrip. B.5.



COLONIAE,
Apud Ioannem Birckmannum,
Anno 1570.
Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EM. ROMA

REVERENDISSIMO
ATQVE ILLVSTRISSIMO
IVXTAQVE DOCTISSIMO PRAE-
SVLI AC DOMINO, D. IOANNI
Comiti ab Hoya, Dei ac Apoſtolicæ ſe-
dis gratia Epiſcopo & Principi, Mona-
ſterij, Oſnabrugæ & Paderbornæ Dioce-
ſium Adminiſtratori optimo: Domino
ſuo atq; Mœcenati clementiſsimo,
Bernardus Mollerus ſe & ſua
ſtudia & officia ſupplex
commendat.

IN ea re potiſsimum, Reuerendiſsime ac Illuſtriſsime Princeps, conſueuêrunt liberalium artiū ſtudioſi, optimorum Principum beneuolentiā erga ſe agnoſcere, quòd ſe vires aliquas recipere, ſibiq; medicinam ab illis aliquam factam ſentirent: neque amplius vereri cōgerentur, ne inimici bonarum

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

literarum, de sua egestate & inopia, gaudio triumphent. Idem mihi planè contigit, cùm ex optimo iuxtaq; clarissimo medico, Domino Doctore Gerhardo Martello, Physico amplissimæ tuæ Celsitudinis, intelligam, te & res considerasse meas, easdemq; promouere animo decreuisse: & me iuuandum, tuendum atque ornandum suscepisse. Quocirca ego vicissim apud vniuersos mortaleis (si quid possum) te ad innumerabilia sæcula, augustè sanctèq; venerabor et colam: siq; à minimis maiora coli fas est, si grandiorib. parua subinde exempla conueniũt, tuas ego laudeis, in Principibus, hac tempestate, admodum raras, eruditione eximia, variarum cognitione linguarũ, et singulari rerum gerendarum experientia cumulatas celebrabo; & ad posteros omni studio, omni deniq; feruore

transmittam, meorum opera carminum, vsq; dum Dei gratia conatibus meis adfulserit, vsq; dum vita mihi comes fuerit. Neque verò ad hunc altissimum gradum, & animi, et corporis, & fortunarum, peruenire potuisses, nisi & facta tua, & cogitata ab omni tyrãnide, ab omni prorsus labe quàm remotissima fuissent. Nõ enim vnquã eas res contempsisti, quarum rerum causa animus ille tibi à Deo datus est; quando res Diuinas contemplari, atq; iustitiam excolere, & humanam societatem tueri, nunquã intermiseris: sed totam viuendi rationem in modestia & animi generositate, atq; in rerum humanarum contemptione et despicientia, & in omni Virtutum genere posueris. Non potui non igitur summam ex ea re capere iucũditatem, quòd mihi talis, tantus, tamq; benignus Prin-

ceps, tamq; obuius Mœcenas, præter oēm ferè expectationē contigerit: qui vitam ad hunc modū instituat, qui animum in optimis rebus exerceat. Proinde meritò tibi hunc RHENVM, ingenioli adhuc infantis primitias, dedico: quū te non tantùm RHENVS vniuersus, imò vniuersa Europa non immeritò & nouerit, et quod in te admiretur, habeat: sed etiam Deus Opt. Max. maximis præmijs in terris donauerit, atq; idoneū fecerit, quē in cōcilium Cœlestiū recipiat; quo iucundissimo maximi patris aspectu, quem hîc precib. ardēti pietate incensis quæris, ibi frui in perpetuū valeas. Itaq; obnixè oro, hanc animi mei prōptitudinem erga te, & quā paratissima officia, vt æqui boniq; consulas: & mea studia, si qua sunt (quæ in primis, in XXX: libr. ECCLESIADOS, siue in descri

ptione

ptione Arboris ſcientiæ boni & mali, Vineæ Iudæorum & Nauis Eccleſiæ, quæ omnia à cõdito mundo, ad finem vſq; ſæculi pertingũt: Deo proſperãte elucęſcent) cõmendata habeas, & efficias, quò pietas tua, in homines ſanctos, & virtute præcellenteis cõſtet: tuoq́ʒ conſilio, doctrina, exemplo, reb. deniq; omnib. iuuentur: ita enim viam tutiſsimã, rectiſsimamq́; munies, quæ & te, et illos perducet in vitã æternã: atq; hæc tua beneficia, perinde grata & iucunda erũt Deo, quaſi ſuo numini tributa forẽt. Iam ampliſsime Præſul et ſingularis Mœcenas, benè et fœliciter in gratiam Eccleſiæ & patriæ noſtræ quàm diutiſsimè valeas.

Datum Monaſterij anno à partu virgineo 1570. 6. Cal. Octobris.

PROOEMION

Scribere decreui, quid scribam præterit: ergo
Pectore sollicitus plurima sensus agit.
Incubitus labor; mecũ curanda reuoluo:
Actio nec studijs chara, nec æqua subit.
Sunt, quibus Heròo celebrantur prælia versu:
Non ego, sed belli funera Pallas amet.
Pacificis tantùm pax est condenda Poëtis:
Materiam belli miles vbique crepet.
Blanda solent aliqui farcire poëmata nugis:
Et leuis in calamum fabula sponte fluit.
Mortiferos circa reliqui nugantur amoreis,
Quos Tragico nunquam lassat amore Venus.
Quid mihi vobiscum nugæ? Sunt seria nobis:
Seria sunt vatum carmine digna legi.
Quid moror, Europen si Iuppiter auehit vndis?
Cornua cornigeri sufferat vnca bouis.
Stupra Lycaoniæ valeant inhonesta puellæ:
Cedat olorino Læda Tonante fruens.
Non mihi vel Danae fuluo decepta sub imbre,
Non mihi vel Scyllæ fabula carmen erit.

Et

Et puer in falso Ganymedes alite ludat:
Non Ganymedæo doctus honore ferar.
Crebra Poëtarum meditetur ineptia Psychen:
Sestia nec careat nomine sponsa suo.
Hæc gemat extinctum Zephyri sub turbine lumē:
Lumen ob incensum luctibus illa fluat.
Non mea vel Faunos celebret, vel pagina Circen.
Vtilis est vatum scribere vera labor.
Diuersis diuersa placent. Tractare Mathesin
Instituo: veri iure Mathesin amo.
Non referam quanto patulus flectatur Horizon
Limite: non Mundi sectio carmen erit.
Vespere & illustri quantum discedat ab Ortu
Non cano, nec quātum Parrhasis Vrsa Notho.
Non volo, quæ seruant errantes limina stellæ,
Quas moueat fati lege Planeta viceis.
Terra Parallelis quantum distincta secetur,
Quo freta curuentūr littore, dico minus.
Quid moror? Ex vno res prodeat vnica fonte:
Sit leuis, ingenio forsitan æqua leui.
Sufficiat Mundi partem cantare patentē:
Sufficiat Rheni sceptra referre patris.
Sicut Apes quando florum virgulta pererrant,
Omnia non gustu carpere, pauca solent.
Cùm labor in promptu, de pluribus optima sugūt.
Ex nimijs vitium crebrò venire potest.

Sic mihi materies non obuenit vnica tantum:
Obuius vsque labor singula ferre cupit.
Plurima succurrit meditanti copia rerum:
Copia non cornu plenior isse valet.
Sed mihi cũcta placẽt minimè:placitura nec optẽ,
Pondera non animi viribus æqua mei.
Et mihi,me quamuis ad singula destino promptũ,
Gratior ex multis dicere pauca labor.
RHENVS erit carmen: Rheni narrare fluenta
Destino:materies competit ista mihi.
Sic varijs mentem cesso turbare querelis.
Quærere materiam cesso:nec ipsa deest.
Ipse velut nondum doctus sulcare profunda
Cærula,præludens flumine nauta ferar.
At nouus offertur,qui pectora scrupulus vrget.
Est Erato studij iure vocanda mihi.
Ne Latias præter quicquam futire Camœnas
Ne videar sterili verba crepare sono.
Quid faciam ? Musis si me submitto clientem,
Grandia non vereor,dicere cuncta queo.
O mihi vos Musæ cerebrum præbete:nec obstet,
Si rudis inculto Numina more precer.
Sim licet attonita stupidus ratione, quid angar?
Mens mihi Pieridum cultior ibit ope.
Sim licet insulso Thersites pectore, Diua
An mihi non Erato Nireos ora daret?

Euoco

Euoco Musarum castrū ô maxima Spera
Te Dea:non Erato Numinis ora tege.
Primitijs nostræ Rhenum præscribe Mathesis:
Te nihil inuita dicere virgo licet.
Et tu Calliope nostro succurre labori:
Primitias nostræ quæso Poësis habe.
Hæc ego dum meditor, tenebras & nubila more
Insolito cameram destituisse noto.
Vix quia Sol orbi lucem tunc fuderat ortus:
Ambiguo steterant noxq; diesq; gradu.
Ecce repercusso paries ardere micabat:
Ecce metu pauidus verba sonare vetor.
Indicio rigidi trepidant agitata pauoris
Pectora:pallidulo diffugit ore rubor.
Me geminas coram tueor transire puellas,
Immodico quarum forma nitore viget.
Sic Venus & Iuno scirent cum Pallade fingi,
Addita si binis tertia virgo foret.
Si Paris & iudex formarum quæreret, vtra,
Ambigerem, pomi digna subire decus.
Vna manu sceptrum regis sublime ferebat:
Altera sed Speram sustinet, orsa loqui.
Nos tua Parnassi deducunt vertice vota.
Quid tremor inuadit pectora? tolle metum.
Calliope studijs, Erato pietate mouetur:
Nec tibi quod noceam porto:nec illa nocet.

Venimus

Venimus ex cœtu Musarum: venimus ergo
Vt fieres nostri pars quotacunq; chori.
Non studij votis operam præbere grauamur.
Ah quotus hæc vrget quisq;? nec illud ago.
Hæc aliâs deflenda mihi. præferre repulsam
Iam tibi, non credo muneris esse mei.
Dic age, dic tutò, quid vis? celare nec æquum.
Compos enim voti, ceu stipulamur, eris.
Sic loquitur. Blando mentem sermone leuaui:
Quas volui coram lætor adesse Deas.
Non sunt, quas referā (Respōdi) Numina, grates:
Numina Musarum nomine grata mihi.
Grata quidem tractare iuuat: gustare Mathesin
Destino: conantem fugere terret opus.
Iure voluptatis Rhenum cantare paraui:
Materia scapulos exuperante vetor.
Et vetor in mureis ranarum condere bella:
Ad Culicem Latij pauca Maronis ago.
Vix mihi Nasonis primordia confero, læsam
A populo saxis prætereunte Nucem.
Maior erit Rheni doteis cantare Minerua:
Maior erit Rheni sceptra referre labor.
Me via lassabit, medio subducet ab ausu,
Si pede non rectò metiar ipse viam.
Qui sua non æquo moderatur pondere terga,
Fallitur, ac expers desinit esse sui.

Ergo

Ergo ſinam fruſtrà mentis decreta reſolui?
Propoſiti feruor nunquid inanis erit?
Abſit: adeſte mihi comites ſalebroſa Camœnæ
Per iuga: per Rheni ducite ſtagna pedem.
Non ego iam terræ gyros, & ſydera cœli,
Orbis & orbiflui diſcere iura moror.
Hæc aliâs diſcenda mihi. Monſtrate ſorores
Quod peto: res menti ſufficit vna meæ.
In mea ſe fundat dominator carmina Rhenus:
In mea ſe Rhenus præbeat ora leuem.
Qualia mens neſcit, mens paupere prædita ſenſu,
Noſcere, vos equidem talia noſſe liquet.
Prodeat ex pleno diſcendi copia cornu:
Prodeat ex veſtro diſcere cuncta ſinu.
Sic ego. Ceu dictas (Erato reſpondet) ad vnguem
Molis erit magnæ cuncta referre labor.
Grande petis: ſed nil renuam præclara petenti:
Auxilio nunquam deſtituêre meo.
Primitias noſtræ Rhenum deſcribe Matheſis:
Quæ cupis ad Rheni flumina ſcire, ſcies.
Dic igitur gentem Rheni: deſcribe fluenta:
Flumina dic quorum Rhenus it auctus ope.
Spera rei parteis quoniam declarat amuſſi;
Quod facit ad Rhenum, noſcere Spera dabit.
Iſta ſat ad præſens fuerit dixiſſe: ſed iſto
Principio noſtræ ſigna Matheſis habe.

Sic

Sic Erato Speram quæ mox deuelat: ocellis
Obijciens: illic multa videre datum.
Hîc Asien vidi, qua Sol exurgit Eoò:
Hîc Libyen Austri regna subire noto.
Læua dat occasus, orientem dextera monstrat:
Qua teneo Speram parte, locabo Nothos.
Altius Europen vidi, dum lumina tollo:
Altius Arctoi climata specto maris.
Non Asiæ terram, Libyes non oppida curo:
Sensibus Europe sufficit vna meis.
Hæc faciem vasti confert Europa Draconis,
Dum volitans ala quassat vtraq; polos.
Ad Zephyri tractus rostro decurrit, Hiberi
Orbis vbi metam forma videre facit.
Altior extollit Gallorum iugera ceruix.
Teutonis in scapuli vertice terra cubat.
Dextra sub Arctoo producit frigore Danos,
Læua sed Italiam terminat ala Notho.
In media tergi simulat compage Boëmos,
Qua solet in spinas tollere membra Draco.
Pannones ad læuam subducit Dalmata, ventris:
Vandalus ad dextram Vistula ventris abit.
Crure iacet læuo Macedôn firmata triumphis
Græcia: sed Malean deprimit ora pedis.
Ad femur est dextrum cliuosi Prussia ruris:
In reliqua cruris parte Liuones eunt.

Parte

Parte sed Eoa natium fert Sarmata fineis,
Thraces & armigeri milite bella gerunt.
Ad Tanais girum cauda transcendit, aduncis
Bothnica Maandris circuit arua Draco.
Hac simulac miror faciem prabere Draconis
Rura, pium Rheni quaro videre caput.
Metior Europa tractus, & singula regni
Oppida; cum fluuijs prendere stagna iuuat.
Hic vbi discedens Arcto, curuatur in Austrum
Circulus: & media nomina lucis habet:
Circulus Hispano remouetur tertius orbe:
Sub pedibus Rhenum spectat abire suis.
Zodiaci media locus in regione videtur:
Et locus aquata nomina noctis amat.
Hinc alij versus Boream distare probantur,
Vnde datur lux quàm longa videre, gradus.
Dena Parallelos graduum structura ministrat:
Linea nec spatijs aquior esse valet.
Interualla suis numero distincta figuris:
Linea per numeros ordine quarta subit.
Quadraginta gradus & sex deprendo Booten
Versus: ad Heluetia culmina versus eo.
Heluetiam specto: monteis adspecto leuari:
Montibus enasci cernere flumen erat.
Alpibus enasci Rhenum deprendo: nec vrbeis
Nec populos Rheni Spera latere sinit.

Qua

Quæ procul aspexi, miscentur flumina Rheno:
Quod procul, aspexi, Rhenus in æquor eat.
Hæc vbi nota forent, Erato simul attrahit orbem:
Ex oculis Speram fecit abire meis.
Nobilis externo dematur lumine Spera:
Excidet haud vnquam pectore Spera meo.
Calliope sceptrum vibrat regale: tuetur
Me simul: vt sese dirigit, orsa loqui:
Noscere cuncta datur, nequeunt tamē omnia dici:
Omnia spectanti noscere Spera dedit.
Ipsa ferar rectrix quoniam suprema Poësis:
Nil solita præter iura Poësis age.
Omnia si cures ad rem conferre, quod obstet
Inuenies, vocum si Labyrinthus obest.
Barbara iungentur Romanæ nomina voci:
In Latios nequeunt cuncta venire sonos.
Teutonicas noli nimium mutare Latinis
(Vocula natura constet in arte) phraseis.
Quæ Latias igitur valeant resonare loquelas,
Hæc operi poterint verba praeesse tuo.
Dysticha nanq; pedeis in sex & quinq; secantur:
Non licet his gyro claudere cuncta breui.
Plus capit extenso spatiosior æquore campus,
Area quàm tenui limitis arcta situ.
Non Elegēia capit nimium veneranda capillis:
Cuncta licet memores non Elegēia feret.

Cuncta

Cuncta referre veto: nec erit memorare necessum:
Cuncta nec in legem carminis ire queunt.
Ne fera Lectori moueatur nausea fesso,
Lucida sit breuitas: carmine digna feras.
Sic loquitur. Sceptrum nobis porrexit: eidem
Dulcibus impressi basia sæpè genis.
Ipse nouo sensi gustu feruere cerebrum:
Insolito sceptri sensa calore stupent.
Ingenium diuæ miror subtile Mathesis:
Ad nitidæ præceps dona Poësis eo.
Me velut horrendam demiror ad Ecstasin ire.
Me manibus prensum Calliopœa tenet.
Calliopes tactu mentem natura recepit
Territa. Calliopes numine forma redit.
Tunc Erato vocem soluit Diuina: pericli
Est nihil: ignoto pectoris igne stupet.
Et quia se nobis deuotum fœdere sancit,
Iunctior ingenij fœdere semper erit.
Ne pia mortali caligent lumina nube,
Discat in Aethereum figere sensa decus.
Sic ea. Mox ridens impressit basia fronti
Et labijs: Lauri tinxit odore genas.
Clarius exterso speculabar lumine Diuas:
Candidior tersa mens ratione volat.
Omnia non vno fœcundant tempore vateis:
Calliope tenero verba lepore facit.

Et nimium properare nocet: factura Poetam
Castalijs sensim cuncta dabuntur aquis.
Et quia te nobis addictum fœdere prebes,
Nos tibi Musarum fœdere iunget amor.
Et simulac Rheni fuerint cantata potentis
Ostia, Pieridum doctior ibis ope.
Ad duo Parnaßi nobiscum culmina tendes:
Ingenuo scandes tunc Helicona pede.
Aedita sit rupes nimium: dent vulnera spina:
Stent iuga: conantem lædere nulla queunt.
Arua Camœnarum fuerint quæcunq; subibis:
Scire Camœnarum multa dabuntnr ope.
Quem pedis impulsu produxit Pegasus, esto
Hoc tibi percepto mitior amne sitis.
Enthea spectabis Parnaßo somnia monte,
Somnia Pieridum diuite parta sinu.
Si bene succedat Rhenus, maiora vel aude:
Si leuiora parant ad grandiora viam.
Primitijs meliora tibi memoranda dabuntur.
Otia tu saltem desere, multa scies.
Non venit ignauo Musarum gloria sensu:
Emerito vendit cuncta labore Deus.
Prima reaccendat studijs Aurora vigorem:
Tempora Musarum vesper & ortus erunt.
Sic Dea. Conceptis audentior ignibus ipse,
O vtinam (dixi) Liuor abeße velit.

Quæ

Quæ puer effingo puerilia sentiet esse
Zoilus: insanum carmina dicet opus.
Calliope dictis inhiat: terreris inani
Hoste: Theonini causa pauoris eat.
Zoilus inuideat, qui non euitat Homerum;
Inuideat Rheno Momus: obesse nequit.
Ipsa tibi, liceat quocunq; patrocinor, ausu.
Nomine Musarum tutior esse vales.
Hinc nos castra vocant Musarum, cedimus ergo;
Te furor ad Rheni carmina nempe vocat.
Sic loquitur: dicto citius cessêre benigna
Numina: Musæo deseror ipse meo.
Mox operam Rheno pendens, describo fluenta.
Ordior; in calamum Rhenus & ipse fluit.
Grande licet munus subeo, fecisse periclum
Quid nocet? haud oneri subdere colla vetor.

Finis.

ELEGIA AD AVTHOREM, ET LECTOREM ATQVE IN ZOI-lum: per Erneſtum Steuerman Monaſterienſem.

*M*antua Virgilium, Colophon celebrauit Homerum,
Ennius eſt Rudijs clarus honore pater.
Naſonem Sulmo coluit, Verona Catullum,
Laudibus exultat Roma Tibulle tuis.
Perſius à Thuſcis colitur, Iuuenalis ijſdem,
Corduba te gaudet Vate Lucane ſuo.
Vmbria magnificè te laudat tota Properti,
Te Venuſinorum Flacce propago colit.
Vueſtphala quem coleret vix vidit terra Poëtam
Hactenus, expreſſum cuius haberet opus.
Fertilis aſt vatem quin profers terra celebrem,
Quem poſsis tantis æquiparare viris.
Qui patrios intra fines celebrantur & extra,
Nomen & æternum turba nouena facit.
Muſa beat cœlo, vetat & poſt fata perire,
Cui mens Caſtalio tincta liquore fuit.
Parturiens tandem ſed te nunc protulit vnum
Poſt paucos, Lauro qui decorandus eris.
Pierides igitur calathis adferte corollas,
Conuenit haud capiti dura corolla ſuo.

Ecce nouem nectunt tibi mollia serta Sorores,
Ecce parant hederis te redimire caput.
Ipse soli patrij Princeps quoq; pronus honores
Destinat, & laurum porrigit ecce tibi.
Vuestphala tota nouo nunc plaudit terra poëta,
Ecce suo populus vate beatus ouat.
Et quicunq; legit tua carmina mente benigna,
Clamat, sit Vati lausq; decusq; nouo.
Quin sua maturo committit carmina prælo,
Carmina per doctos sæpe legenda viros.
Sed nondum meritas resonant præconia laudes,
Si qua per inuidiam vera referre licet:
Singula nec referam, nil hoc nil doctius vno
Est qui Nasonis molle secutus iter.
Multa refert paucis, alij vix pauca frequenti
Carmine; perspicua nam breuitate valet.
Rem præstat magnam, nam res describit apertè,
Magnas, & liquido carmine cuncta notat.
Vrbibus historiam iungens aliquando seueram
Admiscet dulces non sine mente iocos.
Sic tamen vt primo medium, nec discrepet imum;
Aptaq; sint rebus verba relata suis.
Cætera sed taceo nimium laudare recusans;
Pauca tamen vero sed libet ore loqui.
Tu Mollerus eris, multos celebrandus ad annos:
Et referent laudes tempora cana tuas.

Vuestphalicos intra fines laudêris & extra.
Musa tuum nomen post fera fata canet.
Atque tibi tantos certè geminabit honores,
Edere si properes, quod machinaris, opus.
Ecce sed emeritos torum tibi liuor honores
Inuidet, & Momos procreat ipse truces.
Momus in exitium iurauit carminis ater;
Sed nil quod posit carpere Momus habet.
Niteris incassum, potius quin desine Mome,
Aut pereat proprijs lingua proterua malis.
Virtus conuitijs nunquam superatur; inanem,
Desine si sapias, te coquet iste labor.
Adde quod & patrius Princeps defendet alumnũ:
Et nescis longas Principis esse manus?
Ferrea vis populi vatem quoq; ritè tueri
Spondet. quem Vati posse nocere putas?
Desine quocirca nostro maledicere Vati,
Tutus ab insidijs cùm sit inepte tuis.
Si tibi non placeat, Rhenum tu linque legenti,
Mente legat volucri, seu legat ille rate.
En nunc inuidiæ morsus, maledictaq; Momi
Cessant, conuitijs & cadet ipse suis.
Integer en superes, latosq; parare triumphos
Tempus adest: & Dijs danda trophea nouem.
Non quia mortalis mortali corpore viues,
Nam tua parta tibi fama perennis erit.

Edere

Edere nunc properes tutus, Mollere, labores,
Quos Ecclesiados nomen habere facis.
Impia non faciet quando conuitia lector,
Cùm factus Rheno notus es antè tuo.
Hinc te non vanas didicerunt scribere nugas,
Hinc gratus cunctis, si mihi credis, eris.
Cum Lectore pio nostri memor esto precamur:
Plures Nestoreis viue valeq; dies.

LIBER RHENI PRIMVS A PRIMIS EIVSDEM FONTIBVS VSQVE AD RHENI ET AROLAE confluentem.

BERNARDO MOLLERO AVTORE

C. L. S.

Vt omnia, quæ in carmine ſubobſcura eſſe notari poterant, captui lectorum accommodatiora appareant, operæ precium me arbitratus facturum, ſi ea, quaſi per Anacephaleoſin reuocem, ſingulorumque argumenta librorum ſoluta oratione leniter percurram: hæc igitur paucis lector annotata æqui bonique conſulat.

ARGVMENTVM IN LIBRVM RHENI Primum, à primis eiuſdem fontibus, vſque ad Rheni & Arolæ confluentem.

SVmmæ ſunt Alpes, iam Gothardi nomine clariſsimę, quibus ab oriente, continenti ſatis vertice Adulas annectitur:

ita tamen, vt Adulas summarum Alpium cornu esse videatur. Rhenus præclarum totius Germaniæ flumen, ab his ducit originem Alpibus; ea potissimum parte vbi summæ Alpes Adulæ coniunguntur: vbi & longè lateque populi Lepontij habitâsse memorantur. Nascitur ex his Alpibus, duobus fontibus Rhenus: fontes autem distant, si parallelam spectes lineam, Octoginta stadijs, quę duo faciunt miliaria Germanorum magna : si montium iuga , & ambages viarum , distant itinere vnius fermè diei.

Fons igitur Rheni vnus , magis ad Zephyrum & Septentrionem fertur; diciturque Rhenus anterior. Iuxta eundem fontem habitant populi Aethuatij; eorundemq; adhuc apud fontē Rheni oppidum Tauetsa existit ; quod & inuersa voce populi nomen ferè exprimit. Dicuntur iam populi notissimo nomine Grisones, siue Canini à canis. Rhen⁹, in quā, anterior per istius populi vallem labitur; & statim à dextris flumē Mēdel

sinā

ſinam habet. Prætereà à ſiniſtris Diſentũ Rincunbergã, Anteldã & Vualterſpurgam habet; hanc lõgiſsimè, illã non ita longè diſtantẽ, præteriens. Ad Ortũ verò Rhenus lapſus, Iliantũ oppidũ alluit, ſub quo, ex valle Lugnitia delapſum flumẽ, ꝙ Glenner dicitur, à dextris accipit.

Fons verò Rheni alter, dicitur poſterior, & is magis ad Orientẽ & Auſtrũ flectitur: ex Adula aũt mõte naſcitur, duobus quaſi initijs: habetq; Rhinualdum iuxta ſeſe vicũ: & ſtatim fertur in Orientem. Inſignẽ pagum propius ad lœuam habet, Speluncã; longinquius caſtrũ Berenburgum relinquit. à dextris cominus Scampeſam pagum, eminus Rhæaltam, quaſi altam Rhętiã, in monte caſtrum, habet. Ad Boreã inde delabitur; prope Tuſcanum, quod ad lœuã habet, flumen accipit Abellã à dextris; ex mõte quod Abellino funditur. Protinus à dextris habet vallẽ amœniſsimã quæ Tumiliaſca vocatur. Rhenusq; ad Rhætiã arcem labitur. Mox anterior & poſterior Rhenus confluunt: efficiturque ex

duobus fontibus vnus Rhenus.

Rhenus anterior in longitudine habet triginta duo millia pasſuum : ſiue ducenta ſtadia, & quinquaginta ſex.

Rhenus poſterior viginti quatuor mille paſſus; ſiue centum & nonaginta duo ſtadia.

Ab eo loco, quo anterior & poſterior Rhenus confluunt, vſque Rhętorum curiam ſunt quatuor millia paſſuum.

Curia autem Rhætorum Rheno à dextris imminet; oppidum ſanè elegans, iuxta quod ſeſe Pleſſura fl. in Rhenum exonerat

Inde pagus à dextris Cicere in ripa Rheni ſita. Rhenus autem ad occaſum prouoluitur; à dextris fl. Longarum excipit: eadem parte Maiæ Campum oppidum habet.

A Curia Rhætorum vſque Maiæ Cãpum ſunt octo mille paſſus. Rhenus longiſsimo diſsitum tractu monaſterium Phabarium, quod & altiſsimo receptum monte, à ſiniſtris præterit: & ſub eo Camingam fluuium thermis maximè nobi

lem,

lem,accipit.Sarunetes populos ad loeuã alluit.Ad Corum fertur.

Inter duos montes, lœua Scalam,dextra Altum montem habẽs, defluit.Comitatum Verdenbergam à ſiniſtris habet parum à ripis diſsitum:à dextris quoque nonnihil remotũ oppidũ Balzeſiũ. Hinc ad Septentrionem Rhenus frontem vertit, & Benedurum à dextris alluit.

A Maię Campo vſque Benedurum ſunt octoginta ſtadia.

Illum fl.Rhenus à dextris obtinet.Illus verò naſcitur,ex monte, qui dicitur Rhæticon,Muntaſum & Druſi vallem ſecans,oppid.Petri Campum,montemque Eſtionum alluens,tandem Rheno commiſcetur.

A Beneduro vſque ad Illum flu.ſunt triginta duo ſtadia.

Rhoguſcos populos Rhenus ad lœuam habet:Rhinacum opp.pręterit:ſub eo tandem influit Lacum Podamanicũ, ſiue Brigantinum:iſtius lacus deſcriptio petatur ex textu.

Ab Illo fl. vſque ad lacum Podamani-cum ſunt centum ſtadia.

Lacus in longitudine habet ducenta ſtadia & triginta duo, in latitudine autẽ protenditur ad centum ſtadia.

Rhenus à Septentrione ſenſim declinat in occaſum; Stechbornum à ſiniſtris oppidum, quod iuxta lacum eſt poſitũ; infra lacum autem Stænim à dextris: Deiſſenhouium à ſiniſtris opp. alluit.

A lacu Podamico vſque Deiſſenhoueum ſunt quadraginta ſtadia.

A Deiſſenhoueo vſque Scaphuſiam, quod oppidum eſt à dextris, ſunt etiam quadraginta ſtadia.

A Scaphuſia ad Cataractã vſq; Rheni maiorẽ, ſunt 24. ſtadia, pedeſtri itinere.

Cataracta iſta in altitudine habet ſeptuaginta quinq; pedes.

Rheno à dextris opulentiſsima imminet regio Hegouia.

Rhenus in Auſtrum planè vertitur, D. Benedicti inſulam, quã Augiam exiſtimant eſſe minorem (maior eſt in lacu Brigantino Richenou) alluit, Rhingo-

uiam

uiam peninſulam ferè circuit. Paulatim in Zephyrum flectitur.

A Cataracta maiori vſque peninſulam triginta ſtadia ſunt.

Rhenus in Auſtrum redit: è longinquo ad dextram Alemannorũ caſtra, ad ſiniſtram Romanorũ caſtra præterfluit: & Vr flumen, à ſiniſtris poſtea excipit.

A Peninſula Rhingouia vſque ad cõfluentem Rheni & Vr fluuiorum ſunt tria millia paſſuum.

Rhenus à ſiniſtris accipit Troeſam fl. apud Egliſſou oppidum.

Ab Vr fluuio ad Troeſam vſq; fl. ſunt quatuor mille paſſus.

Rhenus à dextris Egliſſou oppidum prȩterlabitur facto arcu in Zephyrum vergit; lœua Glath fluuium, ortum ex duobus lacubus Griphio & Pheſino, di gerit: poſtea à ſiniſtris Keiſerſtoel, quaſi dixeris Cæſaris ſolium præclarum antiquitate oppidum allabitur,

A Confluente Rheni & Troeſæ vſque Cæſaris ſolium ſunt viginti ſtadia.

A Cæſaris ſolio Zurzachium vſque emporium ſunt quoque viginti ſtadia.

A Zurzachio vſque Caboltz ſiue cõfluentiam ſuperiorem Rheni & Arolæ ſunt triginta & quatuor ſtadia.

Arolæ, Limagi & Vrſæ flumina, cum deſcriptione montis Iuræ ſiue Iuraſsi, & Lacu Pontij Pilati apud Fragmont in Heluetia, petantur ex textu.

Rheni longitudo, à capite anterioris Rheni vſque ad confluentem Rheni & Arolæ, iuxta fluuij circuitũ mille ſtadia & ſexaginta habet: quę faciunt Germanica miliaria communia triginta tria; ſic quatuor redundant ſtadia.

Si quis verò pedeſtri maluerit vti itinere, non iuxta Rheni gyros vt hinc & inde exorbitet neceſſum habet: iuxta parallelam ſemitã à capite anterioris Rheni vſque ad Arolæ & Rheni confluentẽ ſexaginta ſex millia paſſuum habere poterit: quæ faciunt ſeptendecim ſemi miliaria Germanorum cõmunia. Satis inde curuatura Rheni elicitur.

Ignea

Ignea nubifero mons vertice suspicit astra:
Itala Gallorum terminat arua iugis.
Quôd nitido vertex niteat candore profusus,
Alpibus albedo nomina iure dedit.
Quod veteres alpum lingua dixêre Sabini,
Id Latijs alpi nomen habere solet.
Ad tria protenso stadiorum millia monti
Infera cum Supero cernitur vnda mari.
Sæpè quod inuerso mons nomine nomina mutet,
Id ratio nunquid sana docere queat?
Hannibal adiecit Pœnorum nomina monti:
Ignibus Alpinum sustulit ille nemus.
Alpibus & Graci tribuêrunt nomina Graijs:
Graius inaccesso surgit Adula specu.
Iulia Cæsareo quod nomine dicitur Alpis,
Causa stet: hac primum Iulius egit iter.
Longior extremis apparet finibus Ocra,
Hîc vbi præclaris Histria rebus adest.
Sunt nimium celsa montes radice leuati:
Imparibus gaudet astra ferire iugis.
Mons subit hîc, inter quo non subit altior Alpeis:
Nobile mons summa nomen ab Alpe capit.
Hic reliquos vasto tumuli deuincit honore
Qui nimio montes saxa rigore leuant.
Posteritas nomen tribuit mutata Gotardo,
Quod valido tutor monte Gotardus agat.

Alpes in lõgitudine habent miliaria Germanorum communia 92. et partes tres.

Thratius excelsa, mirum, spectatur ab Alpe
Hæmus, vbi claro fulget honore dies.
Hæmus vt Orphæo conscendit vertice nubeis,
Vertice sex passûm millia totus habet.
Mons velut in cornu summa diuertit ab Alpe,
Qui reducem Solis spectat Adula diem.
Mons Aduæ nomen meritò præferret Adulæ:
Ast Aduæ victor nomen Adula negat.
Barbaries vmbram sequitur deducta Pelasgo
Nomine: sed Græcos dictio penè latet.
Scandit inaccessa vertex compage viarum:
Nominis hinc Aduæ Gratia laude viget.
Hi fluuio montes passim lætantur oborto:
Irriguis passim saxa rigantur aquis.
In quatuor mundi parteis diuersa feruntur
Flumina: pars Mundi flumine nulla caret.
Gurgite Ticinus summa descendit ab Alpe:
Per iuga Leponti fertur in arua Nothi.
Quà subit Arcturum vertex, hic nascitur Vrsa
Stagna suis dirimit qui Lucerina vadis.
Sol vbi subsidit, remouetur vertice Furca:
Et genitor Rhodani Furca ministrat aquas.
Quà reditum Phœbi lacerus prospectat Adula,
Frigus & æterno polluit arua gelu:
Gens colit haud vno Lepontia culmine rupeis,
Qua minus Alcide gratior ante comes.

Hœmus in altitudine habet milia re vnum & medium.

Scire

Scire iuuat Rheni fonteis? hac nascitur ora
Redditur & gemino Rhenus ab amne duplex.
Fonte cadit natus duplici. Quod flumina distent
Longius, id multo semita monte facit.
Vix gemini longè fontes distare videntur:
Mille decem paßus inter vtrosque cadunt.
Quattuor horarum spacio cernentur vtriq;,
Si qua parallelum sternat amußis iter.
Ducta per ambageis suspendit semita greßum:
Semita vix toto vincitur ergo die.
Posterior dextra Rhenus prospectat oriri,
Anterior læua spectat obire iubar.
Alpibus hic fontem tacitè deducit ab altis:
Argolicis illum fundit Adula iugis.
Hic magis ad Zephyrum Boreali visitur Arcto:
Solis in exortum prospicit ille Notho.
Ortus ab angusto defert hic gurgite fontem:
Ille facit duplici cornua fonte duo.
Non procul hic oritur Ticini margine fontis:
Contiguis illum Meusa fatetur aquis.
Hic postquam natus, rectà metitur Eôum:
Ille sub exortu versus, ad Arcton abit.
Hic triginta duo transcurrit millia paßûm:
Millia viginti quattuor ille subit.
Acthuatia foßa vallis defertur hianti
Anterior, facili Rhenus obitur aqua.

Et vix Aethuatijs nascenti proxima Rheno
Turba magis: primum fonte Tauetsa iacet.
Excipit angustum, quod dat, Medelsina, flumen
Rhenus: & ad dextram flumine lætus abit.
Tecta Disentinæ linquit montana cohortis
Rhenus: & ad læuam mœnia gentis habet.
Rincumberga procul, nec non Antelda videntur,
Alueoli læuam pagus vterq; fugit.
Vuolterspurga sedet distante remotius vnda:
Finitimis passim castra videntur agris.
Dum tenera Rhenus facie suspectat Eôum,
Solis & opposito prospicit ore iubar:
Præterit admotis Iliantum fluctibus: illic
Lugnitia Glenner valle profusus adest.
Valle profusus adest Glenner, quem dextera Rheni
Excipit: hoc grauior flumine Rhenus abit.
Rhenus vt exhausto transegit gurgite fontem
Anterior, suffert posterioris aquam.
Posterior bino fonteis torrente meretur
Rhenus: & ad fontem culmina vicus habet.
Candida sortitur Rhenani nomina saltus:
Vt pote Rhinualdi nomina vicus amat.
Hîc duplici Rhenus iungit torrente fluenta:
Hîc coit: hîc torrens desinit esse duplex.
Comiter incessu Rhenus descendit in Eurum:
Vndisonis passim castra tuetur agris.

Alueo-

Alueolum tractu spectat Spelunca sinistro:
Castra Berenburgi Rhenus abesse facit.
Hinc Scampesa subit: subiens hinc Rhœtia celso
Alta venit nitidum monte leuata caput.
Hac tenuis formam castri praeferre videtur:
Ast pagi faciem pauperis illa gerit.
Pagus & arx tractu defensant culmina dextro,
Culmina barbarico saepius icta metu.
Proximior Rheno castris Scampesa Rhaealta:
Nam stadijs Rheno quinq; Rhealta fugit.
Anteà prospexit nascentis lumina Phœbi
Nunc Borean contra Rhenus abire parat.
Tuscanum lœua, dextris accedit Abellam
Flumen aquis, Euro ducit Abella viam. Abella flu.
Flumen Abellini descendit vertice montis:
Teutonica Burgum vocis adesse finit.
Tractibus abscondit Tauasi flumina dextris:
Pluribus occursu nomina demit aquis.
Dum graditur Rheni sceptris infertur Abella:
Perditur; & compos desinit esse sui.
Vlterius Rheno simulac augmenta parantur,
Praegreditur dextrum Tumiliasca latus.
Tumiliasca canis imitatur vallibus hortum
Alcinoi; monteis inter adepta locum.
Illic delicijs exultat Rhœtia pulcris:
Rhœtia quî poterit clarior esse situ?

Non

Non poterit. Natura nihil permisit obesse,
Cùm soleat multis esse nouerca locis.
Ditia rurales ostentant culmina pagi:
Contiguis villæ deliciantur aquis.
Hîc quoq; stant arces: patulo stant oppida monte.
Vitigerum præbet Liber vbique nemus.
Rhenus eò fertur: Rhætorum dissecat arua.
Ad Borean recto cessat abire gradu.
Rhenus vbi toto fontem torrente repleuit
Posterior, suffert Anterioris opem.
Vnicus, ante duplex, gemino coit agmine Rhenus:
Solis ad exortum ductile flectit iter.
Hîc vbi iam Rhenus coijt, vix Curia mille
Rhæta quater passus inde remota iacet.
Curia Rhætorum Plessuræ proxima Lymphis
Aequorea montes valle ligata colit.
Arce sedet bina: stant arces vertice saxi:
Hîc Oculi, Martis Spyna videtur ibi.
Martis adhuc Spynam patitur restare vetustas:
Ast Oculi Spynam colle ruina tegit.
Hanc simulac vrbem fluuio Plessura reliquit,
Hæc nitidis simulac arua diremit aquis.
Vertitur in Cori flatus: dum serpere sperat
Latius, hunc Rheni dextera mole rapit.
Hîc quoq; veloces habitant magalia Rhæti,
Hîc quoq; Canini saxa per vda ruunt.

Scilicet

Scilicet à canis Canini nomina ducunt:
Et socio Rhætos semper amore colunt.
Gurgite qui placido manauerat antea Rhenus,
Distrahitur ripa, tectus abire nequit.
Versus ab exortu Phœbi declinat ad Arcton:
Mox alia Corum parte retortus obit.
Ardua flexibilis sinuantur cornua spiris:
Ast Ciceren dextra Rhenus abire videt.
Solis ad occasum curuato ducitur orbe
Rhenus: & aduecto ditior amne fremit.
Gens ibi possedit Rhucantia nomine vallum:
Hic quia Rhuncantis sessio iure fuit.
Rhætia nec populum vidit, qui tempore Martis
Martia Rhuncantis maior ad arma foret.
Excipit à dextris Longari flumina Rhenus:
Rhæticon hæc gelido flumina monte parit.
Fragmina Cublissa Longarus agrestia transit:
Fragmina Pideri fluctibus æqua videt.
Ad Campum Maiæ (plures dixère Lupinum)
Rhenus it: ad dextram culmina gentis obit.
Campus & hic Maiæ Plessura dissitus extat
Vix procul: hinc passus mille sed octo fugit.
Claustra procul Rheno distant antiqua Fabara:
Sunt pedibus Rheno mille remota decem.
Gramineo quorum vertex syluescit honore
Nubiferis surgunt conspicienda iugis.

Quippe

Quippe ruinosa monstrant ætate senectam:
Sunt procul à læuo fluminis orbe sita.
Inde rigat vallem nitido Caminga liquore:
Quem proprijs Rheni læua maritat aquis.
Camingam iuxta Thermæ montana calentes
Claustra tenent, rupeis inter adepta locum.
Vix medias Thermas Titan illustrat Olympo;
Tam procul in calidi viscera montis eunt.
Aurum Lympha refert, Cyprio quod conuenit æri:
Nil sapit: æstatis tempore fundit aquas.
Tunc radio solis glaciem Galanda resoluit
Vstus: tum medici brachia fontis eunt.
Rhenus aquam læua potat verrente Saranam:
Vnde Sarunetes nomen habere liquet.
Valle Sarunetes Rheni suspectat abire
Læua. Sed hac melius valle quid esse rear?
Bacchus abundanti satiat vineta fauore:
Multa sub Autumni tempore vina bibit.
Munera dant horto nutantes pondere rami:
In quibus æstatem plurima degit auis.
Mater Eleusinis quondam laudata colonis,
In segeteis facili rura labore creat.
Luxuriant riui passim montana secantes
Gramineo passim vernat odore locus.
Oppositus Coro læuam subducit olenti
A Zephyro, curuum Rhenus adornat iter.
Hinc

Hinc gemini Rheno dirimuntur flumine montes:
Flumẽ agit monteis inter vtrosque viam.
Mons subit ad dextram, qui vertice dicitur altus:
Qui latus ad læuum nomine Scala, subit.
Scala nec aſcenſu facilis, nec tramite, durum
Præbet iter. Clauſtris turba cecidit iter.
Non potuit quiſquam montis tentare cacumen
Antea: nec quiſquam vallibus ire tulit.
Vertice mons exit lato: curuatur in arcus
Sæpius, & longo cornua fine trahit.
Eleuat extremi Sargantum vertice mõtis:
Mœnia Sarganti margine rupis agunt.
Scala ſecat valleis nuſquam: metitur eundo
Stagna Brigantini nomen adepta maris.
Aequora Veſenij pars circuit altera Scalæ:
Ad mare, quod Tigurum flectitur vſque, ſubit.
Læua ſub occaſu, ſub Eôo dextera fertur:
Sic media vallis parte triquetra iacet.
Effigiem ſcalæ ſic mons præſtare videtur,
Si faciem Scalæ Delta referre poteſt.
Ad decus accedit Scalæ, quod nomina princeps
Scaliger ex tanti vertice montis habet.
Imperij conſtat quatuor ſanxiſſe Tetractin,
Nomina qui ſaltem principe digna gerant.
Poſt Mediolanum Scalæ debentur honores
Vrbs ſequitur Scalam nomen adepta Padi.

Candida succedit Paduæ Mirandula. Tali
Princeps imperij cogitur ire gradu.
Gloria Scalarum diuerso claruit orbe:
Quattuor hinc Scalas ordine Fama canit.
Prima licet Scala titulum signare videtur,
Nilus vbi septem Delta figurat aquis:
Attamen ostendit Scaleni nomine nomen
Rectius: haud Scala symbola ferre potest.
Gens ibi Mæsorum deducta propagine, Nili
Accola, Niliaco struxit in orbe lareis.
Non hæc succubuit Cyro, non Cæsaris ensi:
Imperio fecit cuncta subesse suo.
Nomina Getharum traxit Geônis ab amne:
Antea nam Geon nomine Nilus erat.
Hæc est vlterius Libyco progressa sub æstu,
Obsequio Nili sufficiente minus.
Barbara Getharum retinet Gethulia nomen.
Sic populi nomen fata perire vetant:
Nempe tripartita Σκαληνὸς imagine Delta
Exhibet: ac Nilus tramite Delta facit.
Accola Scalenum dixit sic postea, Nili:
Et memor Argolicæ Mæsia vocis erat.
Pars etenim Nili mansit contenta fluentis,
Occiduos postquam Getha subisset agros.
Creuit in immensum Scalenæ copia gentis:
Innumerum Gethas constat iniisse gregem.
Non

Non Libyæ tellus populo suffecit vtrique:
Ad patrias vrget caussa redire plagas.
Caussa suum morsu quæ sic afflixit Vlyssem,
Vt patrijs illum nollet abesse focis.
Pannoniam vincens ponto Sueonas adiuit
Getha: locis nomen fecit inesse Gothi.
Ad patriæ tractum simulac Scalenus abiret,
Posthabito Borean cepit adire Notho.
Quod dederat genti specimen Σκαλήνός *auitæ,*
In clypei signum fecit abire sui.
Patria Mœsorum Romanis oppida demit:
Bella per Europen spargere lusus erat.
Quod referat Scalæ faciem Σκαληνὸς*, haberi*
Italis hinc Scalæ nomina credit humus.
Nomine Σκαληνοὺς *signauit Græcia Græcè:*
Itala Scalanos nomine lingua facit.
Barbara Scaleni mutauit opinio formam,
Vt facies Scalam certa referre queat.
Sed faciem differre liquet: Σκαληνὸς *vbique*
Clauditur, in capitis vertice Scala patet.
Corpore libratur vacuo Σκαληνὸς*: at aucta*
Tramite stat triplici Scala: stat apta pedi.
Semper inæquali Σκαληνὸς *imagine distat:*
Est facies Scalæ recta, nec æqua tamen.
Angulus æquato coeat quod cardine nusquam,
Discrepet à lato forma quod alta facit.

Nam lateri basis non sic respondet vtrique,
Vt lateri basis reddat vtrique vicem.
Quod graduum trino surgat discrimine Scala,
Quod gemini Scalæ dentur vtrinque canes,
Posteritas fecit, quando produxit Alani
Robur, & æterno pectora Marte tulit.
Qui valida neruos acuit virtute laborum,
Dedidicit rebus degenerare patrum.
Italiam dextra miles victrice subegit:
Herculea nulli mente secundus erat.
Occiduos animi feruore subegit Hyberos:
Ignea Pyrenes terruit ense iuga.
Diruta Gallorum populando mœnia vicit:
Insolito domitas ponte ligauit aquas.
Effigiem præbent Gallis diuersa triquetram
Flumina. Quid triplici pulcrius amne rear?
Scaldis ad Arcturum sinuatur: Sequana Coro,
Occidua solis parte Garumna fluit.
Ad triplicis formam fluuij traduxit Alanus
Signa, quibus totidem fecit inesse gradus.
Inde Canis signum Scala signabat vtrinque:
Nam trabibus niti fecit vtrisque canem.
Ipse canis nomen Scythici portabat Alanus:
Hinc ratio signi iure probanda venit.
Imperio cuius quondam Verona dabatur,
Miles Alanorum stirpe creatus erat.

Exti

Extitit æterno Deitrichi nomine dignus:
Hæmonio dignum geßit Achylle decus.
Nec Geta, nec Dacus, nec Pannon terruit illum:
Non Italus fœdi causa timoris erat.
Omnia virtutum præstabat munia solus:
Solus & edomito terror in orbe fuit.
Ille suum vultu referens præstabat Alanum
Pristina Scalanæ reddidit arua domus.
Ille sibi Scalam reparans insigne gerebat:
Cœpit ab insigni Scaliger esse suo.
Cæsaris effectum Latij tunc nomine, Scala
Quod Ganymedæa nobilitetur aue.
Tūc, quæ sustinuit Sargantum vertice, Scala
Principibus Scalæ nomen ineße dedit.
Tunc statuit Scalā tractu Veronæ propinquo:
Hæc Comites castri digna vocare fuit.
Tunc Comitis fecit titulum solius haberi
Austrias Austriaco scala sub orbe vigens.
Sic triplici fultus Scala Deitrichus agebat:
Territa quo nunquam sospite scala fuit.
Scala perit Rheni: Scalam Fortuna remouit,
Gallia quam triplici nobilis amne dedit.
Vix reliquæ tutò restant. Fortuna minatur
Interitum: nulli semper amica bono.
Sic varijs scalæ nomen traxêre figuris
Scaligeri, quorum Fama tacere nequit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Scaligeri, quorum ducuntur origine reges:
Scaligeri, quorum Turca vigore perit.
Scaligeri, quorum virtute potentia creuit:
Creuit in immensum, regibus æqua fuit.
Tempore deducunt antiquo semina, fasti
Vt seriem stirpis semper inire queant.
Fascibus illorum cedunt, quæ rexerat arua
Attila, quæ celeri præterit Hunus aqua.
Attila regnorum domitor, quem vicerat armis
Scaliger, Hunorum cedere iußit agris.
Quamuis Pannonico ceßißet barbarus orbe
Hunus, Pannonicæ nomina liquit aquæ.
Hunus ab excelso descendit vertice Scardi;
Dicitur Hun: fluuij nomen & arua tenent.
Quinetiam confert Hunis præclara fluentum
Culmina, quos Iugro misit ab orbe polus.
Palluit aduentu quorum Germanus, & atrox
Gallus, & indomito Roma sub hoste fremens.
Excipit Hun Licam: Sauo miscetur: in Istrum
Sauus, in Euxinum defluit Ister aquis.
Sub dominis Scalæ Latij præclara fuerunt
Oppida: sed Venetus sustulit ista furor.
Scaligeros Veneti, simulac Gulielmus obißet,
Historicis censent interijsse strophis.
Suspicor hæc Venetis efficta cupidine regni,
Fama quibus mendax credit ineße fidem.

Et

Et qui Burdegalan Aquitano præterit orbe
Scaligeris auxit grande Garumna decus.
Scaligeri gaudent Hunis præbere Dynastam,
Hungarica regi nobilitate pares.
Marchionum confert titulos Verona Catulli
Patria: censetur reddere Lica Duceis.
Scaliger existit proprij Commilito Regis.
Quod soleat crebrò Regis obire vicem.
Veligeros Scalæ tribuit Zaradina Baronas,
Tempore qui Martis carbasa ferre solent.
Sarmata Creutzburgi Dominos dat Prußia Scalæ
Sarmata Ryphæi frigore densa poli.
Ceruleis ambit quicquid Friscinga fluentis:
Arcis & Eilauiæ mœnia quicquid habent:
Et quod Torauium, Zintena quod obtinet omnis,
Illud Scaligeris Prußia sponte dedit.
Prußia virtutem Paulo sub principe discat:
Ingenium Pauli concelebrare iuuat.
Scaligeros auget vasto succeßor honore
Paulos, & illustri promouet arte genus.
Ingenio Musas superat, virtute Mineruam,
Isthmiacum forti Bellerophonta manu.
Corpore Mastinos imitatur: pectore vincit.
Scaligeros animo præstat ouante Caneis.
Præstat idem Cæsar nomen sortitus Iuli;
Quem placida Gallus laude Garumna colit.

Quantum docte tibi debet Mirandula Pice,
Tantum Paule tibi patria debet humus.
Mysia signati Bosnensem nomine Solis
Te vocat: Aethereum Mysia munus amat.
Itala prodigium Naturæ nuncupat ora.
Exeris humano celsius orbe caput.
Quandoquidem magnis raro Fortuna pepercit,
Parcere Scaligeris nescia semper obest.
Orphanus exilio traducere cogeris æuum:
Cogeris immiti tristia clade pati.
Semper in ignotis heu quantum viuere terris?
Heu patriis quantum semper abesse plagis?
Non tibi securæ procedunt tempora lucis:
Non tibi securæ tempora noctis eunt.
Fida tibi nusquam regio: vallaris vbique
Hoste: minatur humus fata, minantur aquæ.
Nemo tibi largitur opem: proscriptus abisti:
Dum sibi quisque timet, ferre quis audet opē?
Barbaricos inter, spem non explode, furoreis:
Ancora mœstorum sæpius illa venit.
Sæpius abstruso deuinctum carcere laxat:
Mortis, in ægroto mitigat ipsa metum.
Marcida lethales exugant viscera curæ,
Inferet hæc curis gaudia: clade iocum.
Fac baculum fidei teneas; teneatur amorum
Fac stola: non aberit, credito, Scala spei.

Perfer & obdura: multi grauiora tulérunt:
Quinetiam reges aspe iora ferunt.
Nonne loco sceptri ferulam Dionysius aptat,
Aedipus & trepido flagitat ore stipem?
Et Macedôn princeps Romæ mendicus oberrat:
Cypri rex Veneta pauper in vrbe gemit.
Qui Crucis Austriaco delubra locauit in orbe,
Triste loco sceptri visus obire pedum.
Fata quis Henrici memorabit atrocia quarti?
Cogitur is nati vincula ferre sui.
Cogitur illudi nato; quem contulit orbi
Exitio genitor contulit ipse suo.
Carcere damnatur Gustauus: tristia perfert:
Cuius in imperio Suetia nuper erat.
Quot domitrix pœnæ socios fortuna ministrat?
Quæ tibi pœna nocet, pluribus illa nocet.
Perfer & obdura: tandem cadit ira leonis:
Ingenui tandem Cæsaris ira cadet.
Quò reducis laudem Scalæ Fortuna reportet,
Id Deus, id Cæsar faxit: id opto tibi.
Hæc de Scaligeris causatur dicere Scala
Sueuica: iam Rheni flumina rursus agam.
Vuerdenberga procul Rheni sortita sinistram:
Dextera Balzesium longius ora videt.
Dum graditur, crebrò fluuijs augmenta meretur
Rhenus: & à Cori cardine flexus abit.

Vadit ad Estiones, rectà prolapsus ad Arcton.
Contiguum Rheni stat Beneduron aquis.
Candida Meinfeldo Beneduri culmina Rhenus
Mille decem passus esse remota facit.
Estiones dextra Rheni linquuntur: & Illus
Hac vitreas Rheni parte subintrat opeis.
Rhaticon attritis educit rupibus Illum,
Rhaticon excelso sydera monte ferens.
Fluctibus irrorat Muntaphi pascua vallis
Illus: & illustri gramina fonte rigat.
Lætus adit Drusi vallem: scrutatur arenas:
Irrigua Drusi valle iuuatur aquis.
Excipit à dextris, quod dat Bludensia flumen,
Flumen inextincto rura liquore secans.
Inde Petri campos (Valcircum dicitur esse)
Alluit: in circo mœnia vallis agunt.
Mille ter ad passus Valcircum gurgite Rheni
Dissidet. Ad Rhenum promouet Illus iter.
Mons subit Estionum, quo cum digressus abiuit
Vltimus ad Rheni deficit Illus aquam.
Scire cupis quantum distet Beneduron ab Illo?
Mille quater passus inter vtrunq; nota.
Belligeros læua spectat tellure Roguscos
Rhenus; & Autumni tempora vite replet.
Latius hinc itur: Rhinacum pergitur: vndas
Inde Brigantini pergit inire maris.

Sed

Sed prius ac lapsu vastum prorumpat in æquor
Præualido Rhenus ponte fluenta tegit.
Ne lateat mensura loci, ceu suspicor, Illus
Hoc stadijs centum fertur abesse salo.
In pelago Rhenus nescit mutare colorem:
Turgidus innocuo separat amne lacum.
Quem subigit Losanna iugis, subigitq; Geneua,
Diuiditur Rhodani nonne Lemannus aqua?
Larius excelso mentitur Nerea fluctu,
Abdua quem pulcro conficit amne parens.
Aequora Vesenij Limagus resonantia fundit:
Vrsa tibi confert grande Lucerna salum.
Inuia Dollarda pertransit Tethyos arua
Amasis: exiguo funditur amne sinus.
Parua quidem magnis quadrāt exempla subindè:
Vuestphala Dumero pascitur ora lacu.
Hunc placidis Hundina secat piscosa fluentis:
Hospita nec vasto perditur vnda mari.
Aequora securo discindit flumine Rhenus
Aequora Teutonici nomine digna sali,
Arduus extendit spatioso brachia fluctu,
Arduus extendit littora fauce lacus.
Quin stadijs regnum tendit fluuiale ducentū:
Adijce viginti millia nempe pedum.
Vtraq; discedunt stadijs ast littora centum,
Quà lacus excessu latior ire nequit.

Lutte-

Lutteracus nitido glomeratur in aequora fluctu:
Postea Fusachio Fusachus vrbe perit.
Ad caput excelsa surgit tellure Brigantum,
Qua pelagi spumas amne Brigantus init.
Solis ad exortum modico dum flectitur arcu
Aequor, in aequoreum Liblacus aequor abit.
Ad latus hinc dextrum Lindauia cingitur vndis.
Ponte sed Isthmiaco continet illa solum.
Argus ab Algouia recidit, subiturus in aequor,
Langoiae postquam tecta rigauit aquis.
Hinc ferè Coruina Scusus defertur ab arce:
Scusus in altisoni labitur arua maris.
Buchorn *Moenia fagineo deducunt nomina cornu:*
Ad mare stant, spatio parua, sed aucta viris.
In mare quà tendit resonanti Vispacus amne,
Tecta Iemanstadij Doris adesse videt.
Doris Hagenoiae tumulum sinuosa tuetur:
Posteà Merspurgum littoris ora vehit.
Hoc mari deducit Merspurgum nomina castro:
Altius hîc fundum dicitur esse maris.
Quae prius extendit spatioso littora gressu
Littoris hinc stricti cogitur vnda pede.
Postea Menouium circundatur insula Ponto:
Menouium latè stagna videre potest.
Parte sui media tumulis adoperta leuatur
Insula; nec poterit celsius esse iugum.

Inde

Inde remota Sacri spectantur nubila montis:
Et mare trans longum cernitur ora maris.
Hîc vbi Neptunum dextro fert littore tellus,
Murus Iburgingæ tecta tuetur aquis.
Tollit Iburgingæ sedes hinc infera tectum
Alterius: iuxta sæuit acredo sali.
Se procul in gelidum Peninsula proruit æquor:
Irriguis Isthmon præter operta vadis.
Hanc vicina sibi ducto Constantia ponte
Alligat: haud naui cærula, ponte secat.
Flatibus abscedit Cori: conscendit in Euros:
Nobilis aprico cernitur orbe lacus.
Nobilis Isthmiaco Podamania limite fertur:
Vlterius viridi sylua lepore nitet.
Parte sed extrema Stadium procurrit in vndas.
Versus Alenspacum curua rotatur humus.
Candida Rodolphi spectatur littore cella,
Cella monasteri lege probata sacris.
Augia Cellensi terras inclusa profundo, Augia maior Richenou.
Clarius est nomen diuite nacta solo.
Insula viginti stadijs non longior extat:
Strictior ad passus insula mille patet.
Hanc dirimit princeps certo Constantia tractu:
Mille quater passus inter vtranq; cadunt.
Insula fœcundat Cereali iugera fruge:
Dixero si Tempe iugera, verus ero.

Fronde

Fronde sub vmbrosa rarescunt gramina nusquã:
Fronde sub arborea dulciter vmbra viget.
Hinc locus extenso mentitur brachia cornu:
Effigies cornu nomen habere dedit.
Quà latus Heluetico sepitur margine lœuum,
Mœnia Rostarij percutit ima fretum.
Solis ad occasum versat quod stamina telis
Culmina Sangallum vallibus apta leuat.
Mille ter ad passus Sangallo dissidet æquor.
Fertilibus Galli tecta morantur agris.
Arbor adest fœlix, quoq; dicitur Arbona, ponti
Accola: quam læuo sustinet vnda situ.
Postea Romanum gelido stat littore cornu:
Vrbs quoniam cornu stagna præunte secat.
Vrbs subit, aptato Gutingia nomine fertur:
Rebus enim fertur nomen habere bonis.
Aequoris extremo Constantia margine surgit:
Classibus hæc operit littora; merce forum.
Inde Brigantino diuersus ab æquore fertur
Rhenus: in occasum turbine raptus abit.
Linquitur à læuo Stechbornum limite diues:
Ast alia Stanis parte remota fugit.
Nomen habet saxi Stanis: postrema tuetur
Arua maris: Rhenum ponte ligata tegit.
Inde quadraginta stadijs curuat or aquarum
Rhenus abit: passim classe fluenta subit:

Deisten-

Deisenhoua latus fluuij sortita sinistrum
Aduenit: hæc valido flumina ponte ligat.
Post transacta pedum viginti millia quinq;,
Vrbs petitur dextra nomen adepta scapha.
Vrbs est: Teutonico Scaphusia margine ripam
Occupat: haud ficta nomina prabet ouis.
Nomen habere domus meruit statione scapharũ:
Vrbs operit Rhenum ponte; fluenta scaphis.
Est locus à Rheni dextra protensus ad Istrum:
Scilicet Hegoia nomina gentis habet.
Hic stadijs longa fertur tellure ducentis:
Et totidem lato tenditur ipse sinu.
Ipse quadraginta sex & munitur in arceis,
Vrbis & innumera mœnia stare vides.
Impositum munit tumulis Natura Duellum,
Quod reliquos claro vincit honore lareis.
Vlterius Rhenum simulac Scaphusia misit,
Mille ter vt passus cesserit ipsa pedes:
Rhenus abit celsa lapidum compage retortus:
Mole viam quarens nescit inire viam.
Par scopulis surgit: ripa turbatur vtraq;:
Turbidus Oceanæ murmurat instar aquæ.
Vnda viam frangit: scopulos rimatur eundo:
Sub laceros agitur monte remissa scrobeis.
Pracipiti rupeis inter demissa meatu,
Obuia tot passim frangitur vnda iugũ.

Indignanter abit: minus obice sustinet angi:
Per iuga vindictam tramite læsus agit.
Colligit in spumas rabiem: pulsare videtur
Astra: graui tellus cedit abacta metu.
Scyllai rabiem latratu denotat amnis:
Itq; reditq; frequens; more Charybdis abit.
In subitos fluctu paßim labente Meandros
Cerula perpetuo voluitur orbe fuga.
Si scapha, si piscis cum Rheno decidat infrà;
Vt scapha, sic piscis fragmina mille dabit.
Præcipiti quoniam scopulo Cataracta videtur
Paßibus elabi quattuor atq; decem.
Amne viam carpit placido sedatus aquosam
Rhenus: in oppositi labitur arua Nothi.
Non procul à dextris, qua Sol exurgit ab ortu,
Hîc Alemannorum castra iacere vides.
Non procul ad læuam, qua Sol deuergit in vndas,
Castra Latinorum Marte notata iacent.
Augia minor. *Augia succurrit Benedicti numine clara:*
Est minor: & gelido cingitur amne locus.
Hinc ferè Lunato Rinouia vapulat æstu:
Ductilis in speciem flectitur vnda tubæ.
Et latus ad dextrum peninsulæ clauditur vndis
Quod superest, Isthmus calle relictus, obit.
Vrbs stetit hîc quondam: vestigia denotat vrbis
Cœnobium facili tecta decore gerens.

Destituens

Destituens Austrum, Coro tantisper adhæret
In Zephyrum donec Rhenus adornet iter.
Circuitu fluctus si non illudat adunco,
Triginta stadijs hinc Cataracta ruit.
Mutat iter Rhenus, nec enim persistit eôdem
Tramite: nubiferi cedit in arua Nothi.
Vr subit (hunc Latio dixêrunt nomine Taurum)
Partibus ex Scalæ flumina montis habet.
Vr simulac flumen Sitteri flumina potat,
Nomina Thurgoiæ mancipat apta suæ.
Cella sed Abbatis Monachorum candida votis,
Proxima Sitteri fontibus arua tenet.
Vr bibit inferius (læuo sed margine) Murgum)
Murgus ab Australi flumina parte vehit.
Reddidit ex vndis simulac se talibus auctam
Vr perit: Vr læuo Rhenus & amne tegit.
Hinc si noße velis quantum Rhingouia distet:
Mille ter ad paßus diffugit illa retrò.
Hinc quatuor finit persistens millia paßûm
Rhenus, & audaci verberat amne solum:
Fluminei sumit labris augmenta Troêsæ:
Talibus augeri flumina gestit aquis.
Landbergas iuxta fertur bullire Troêsa:
Mœnia Chiburgi præterit apta iugis.
Vrbe Vitudorum minimo suspectat abeße.
Hunc domitis Rheni læua capeßit aquis.

C *Auctior*

Auctior incedit grauido iam flumine Rhenus:
Aptior & nautis carbasa naue vehit.
Praterit Eglisum dextris: fert gurgite pontem.
Totus in occasum vertitur arcus aquæ.
Inferius læua (Glath dicitur) accipit amnem:
Illius ex gemino nascitur vnda lacu.
Nam lacui valleis expandit Sueuia passim:
Glath non immeritò vallibus vnda cadit.
Vnda lacu surgit partim deducta Phesino:
Ex Gryphio partim nata palude venit.
Ad solium læua defertur Cæsaris vrbem
Rhenus; & excelso flumina ponte ligat.
Hinc stadijs constat retrò cessisse Troësam
Quattuor: his passûm millia iunge duo.
Vt totidem fluctu spatij transegit eunte,
Zurzacium læua Rhenus eunte subit.
Zurzacium virgo bustis Verena celebrat:
Nobilis emporio cernitur esse locus.
Hinc Arola fluctus Limagi sortitur & Vrsa
Rhenus, vbi læuum Belga relinquit iter.
Vtpote triginta stadijs & quattuor illic
Zurzacium spectat Rhenus abisse retrò.
Vnda subit Limagi Claronum vallibus orta:
(Glaria Claronum dicitur esse domus)
Serniphias alia Claronum praripit vndas
Valle: pijs sese flumen adauget aquis.

Flumine

Flumine rimatur valleis, rimatur & arua:
Et Limagus paßim caute retortus abit.
Qui simulac Vrnas infra defluxit eundo,
Quà stetit Heluetiæ terminus ante, subit.
Terminus Heluetiæ, vero qui nomine Marca
Dicitur: Heluetijs Rhætaq́; castra facit.
Vt lateris supra pontem conatur abire,
Vesenium dextris æquor abire videt.
Largas Vesenio deducit ab æquore lymphas,
Quod Vallenstadij dicitur eße Lacus.
Aequor & aptato Riuanum nomine fertur.
Ast aliò Limagus grande retorquet iter.
Hospitium dextra linquit villare Rapoldi:
Aequoreas angi ponte tuetur aquas.
Ad Tigurum fluctu medius serpente mouetur:
Mœnia finitimo percutit alta mari.
Nec Tigurina satis vallari mœnia stagno:
Culmina sed Limagus præterit ista vadis.
Non procul hoc distat Menardi limite cella: Einſedelen,
Cella peregrinis relligione sacra.
Huc patria Menardus humo semotus abiuit:
Viuere Mors homini: viuere vita Deo.
Ne fidei Mundus noceat sentina malorum,
Corpore desertum, sydera mente colit.
Ne scelerum farrago Venus, spelunca virorum
Officiat, casto frena pudore tenet.

Viderat astrorum constare palatia magnò:
Emerito vidit cuncta labore dari.
Legiferum Christi sensu versare tribunal
Iudicis & summi classica mente tulit.
Quò placeat Diuis, nil non præsumpsit obire:
Quò fieret saluus, cuncta subire stetit.
Tartarus & cœlum tenuêrunt scrinea cordis:
Tartarus & cœlum profuit, ecce, viro.
Dum non infernus cedit, nec pectore cœlum,
Funeris & vitæ mentio semper erat.
Pœna Stygis peccare vetat: censura rebellem
Admonet: ad cœli gaudia trudit amor.
Id paucis curare datum. Menardus Olympi
Mancipium, coluit simplicitate fidem.
Miraturq́; fidem, non hanc scrutatur: vbiq́;
Et bonus & verax Numina spectat homo.
Filius extiterat Comitum venerandus honore:
Sulgoiæ fasceis liquit amore poli.
Non tulit hunc Mundi rabies, non pertulit hostem
Impietas: nocuit causa fuisse probum.
Dum nemus incurrit, Christo dum militat exul,
Funera latronum pertulit acta dolis.
Gesta viri templis magno vulgantur honore:
Templa Dei credunt esse statuta manu:
Ossa viri credunt aliò translata perempti:
Augia Menardi corpore maior ouat.

Vit

Vir nimium dilecte Deo: dilecta piorum
Anchora: te nullum Sueuia maius habet.
Ad tua diuerso peregrinus cardine templa
Currit: inops voto templa coronat homo.
Vt Limagus fluctu Tigurum labente diremit,
Heluet icis sensim mole propinquat aquis.
Hinc Arolæ fessus celeri miscetur & Vrsæ.
Fluminis hîc Limagi nomen & vnda perit.
Vrsa cadit sensim montis radice Gotardi:
Et propè Ticini nascitur Vrsa caput.
Vrsa subit Borean: fertur Ticinus in Austrum:
Hunc Padus, ast illum turbine Rhenus agit.
Vrsa per Vrsellam, vallis quæ Rhœtica, cedit.
Vria Tauriscis nomine iuncta venit.
Vria relliquias Gallorum posthuma seruat:
Flumine relliquias irrigat Vrsa suo.
Hinc lacui mistus paruum descendit in æquor,
Oppida quod syluæ quattuor ambit aquis.
Suitia Taurisco, gens it Syluana Lucernæ
Proxima: gens belli tempore fœdus habet.
Tam sibi condicto sanciuit fœdere pacem,
Vt nihil Heluetico firmius orbe rear.
Est maris ad læuam crebro qui fragmine ruptus Fragmont.
Mons hiat: effracti nomina montis amat.
Hic intermedio Lucerinos vertice spectat,
Syluanosq; pari spectat vtrosq; situ.

Hic iacet inferior Syluania, celsior illic:
Est spatij genteis inter vtrasq; parum.
Inter & excelsum mons aera tramite surgit:
Thracia vix Rhodope celsius ire potest.
Fragmina nutanti minitantur vertice casum:
Saepius abrupto fragmina monte cadunt.
Deiecta vallem rupes implere videntur.
Dira viatorem terret imago loci.
Pontij Pilati lacus. *Quo magis est altum nihil, est horrendius, ima*
Vnda sub exesi vertice montis agit.
Qualis inest nocti fertur praeferre colorem:
Qualis inest Phocae stagna venenat odor.
Obuia vallantes includunt aequora syluae,
Aequora mortali vix adeunda pede.
Deterior syluas miscet Natura salicto:
Sed saliceis misero fecit odore graueis.
Pura sub arboreo minus exige gramina foetu:
Nil tribulos praeter terra vigere facit.
Non aestas Cererem, non ver optata reducit
Commoda: non Bromius palmite sudat aquā.
Partibus haud esset quicquam de quattuor anni,
Tempore nī gelido nubila staret hyems.
Perpetuo venti lacerant dumeta tumultu:
Non Zephyro tellus ast Aquilone nigra.
Deuexae vapido valles panduntur hiatu:
Furua nec inducit vallibus vmbra diem.

Noxia

Noxia producunt nimborum flumina nubes.
Area morborum pestibus apta nocet.
Non hederis illic sertum contexit Iacchus:
Non roseas lauro vestit Apollo genas.
Filia non Cereris vellit Proserpina florem:
Non tenero perfert vngue roseta Venus.
In sterili buxus generatur pallida cœno,
Vnde sibi valeat Parca nouare colum.
Prauia non Cygni modulantur carmina fatis:
Nec teneris galeam versat Alauda comis.
Pauo nec expandit pennas: nec secula Phœnix
Cōputat: haud Prognes lachryma deflet Itym.
Funereo morteis prædicit carmine Bubo:
Exitium lachrymæ Nycticoracis amant.
Hîc agerent Parcæ. Sed nil truncare licebit:
Nullus vbi viuit, nemo perire valet.
Hîc ageret furua residens conualle Celæno:
Nil vbi, nil rerum tollere monstra queunt.
Quid noceat Fortuna? nihil Fortuna reliquit.
Materiam bilis liuor abesse dolet.
Non sua veloces deponunt cornua Cerui:
Non Elephas recto státue fugitue genu.
Non gelido pulcer latitare Cuniculus antro,
Non lepus efferri senta per arua solet.
Degit ibi solita rigidus feritate Lycaôn:
Degit ibi quouis sæuior hoste Sathan.

In tribulis reptat serpentum copia nexis;
In graue qui virus sibila ferre solent.
Non locus est hominum vita, sed carcere dignus:
Perpetuo sonteis tesqua furore doment.
Qui fuerit captus Strophadum discedat abysso:
Hæc Strophadum cladeis terra referre valet.
Hîc Acheron, Lethe, Styx & Cocytus agantur:
Aethna vel Hecla locis debuit hisce dari.
Monstra, quibus ludit morem Natura creandi,
Debuerat tali præposuisse loco.
Vt nihil in sylua fausti, nil deniq; risus:
Sic nihil in totum cærula dulce ferunt.
Naiades extremo non prendunt margine Faunos:
Impete nec Satyri rura per vda ruunt.
Non ibi vittata ludunt cum Doride Panes:
Non ibi Tritonum carmine concha sonat.
Non Thetis & coniunx abeunt ad basia Peleus:
Non Venus & Liber basia rite premunt.
A pelago vindex pisceis Natura remouit,
Ne gelidis etiam rana coaxet aquis.
Stagna licet Boreas euertere cogitet atra,
Atra tamen Boreas stagna mouere nequit.
Pondere squalloris redduntur inertia crassi
Aequora, Naturæ motibus vsa nihil.
Squallida fatales obtexunt tergora fumi,
An queat aspectu dirior esse lacus?

Non

Non subit hunc aliquis, nec eodem riuulus exit:
Ipse suis tantum stagna tuetur aquis.
Nec magis augetur pluuia, nec carpitur igne.
Nec fera mutatur Sole, nec imbre palus.
Omnia stringat hyems glaciali marmora ponte:
Hoc nequit inuerti crassus in amne liquor.
Adde, quod insano Furiarum sæuiat ausu,
Nec lacus irato seruet in amne modum.
Is simulac iactu sensit commota lapilli
Aequora, Vandalico sæuius hoste furit.
Indignatur: aquas sterili deducit Olympo:
Naufragium ponto, damna minatur agris.
Hinc ferus ingenti populatur grandine frugeis:
Impete ventorum deijcit inde nemus.
Aere terrarum quatiuntur viscera moto:
Vallibus euertit mœnia: sede lareis.
Id pelago tristis voluit Natura licere,
Quod pelago licuit non Sodamitq; tuo.
Nigra nigræ formam præbent Inferna paludi:
Heluetij tradunt monstra præesse loco.
Is cruce qui Christum damnauit, redditus Orco
It nitido circum stagna Pilatus equo.
Missus in exilium pelago perijsse putatur.
Postea lethalis desijt vsus aquæ.
Damnauit Natura lacum. Natura Pilati
Iudicium potuit sustinuisse minus.

In lachrymas, Christo mortem subeunte, subiuit.
Iudicij vindex esse seuera tulit.
Quæ simulac vidit pelago cessisse Pilatum,
Non satis hac ira credidit esse datum.
Materiam stagni diro mutauit abusu:
Vsibus, humanæ demitur vnda rei.
Poscitur ad pœnam gelidæ post funera mortis,
Cogitur his iudex Tartara ferre locis.
Hic patitur, quicquid meruit perferre scelestus:
Quod ruit in stagnum, semper vt hospes abit.
Vel miseros inter geminat lamenta boatus:
Vel miserum iudex ante tribunal agit.
Sæpius incumbit solio per cærula ductus:
Sæpius albenti cærula turbat equo.
Mira Dei sonteis acuit vindicta: perire
Est proprium, quando virga Tonantis adest.
Hinc petat exemplum, prauo qui iudicat astu:
Qualibet vigetur iudice caussa Deo.
Hinc sapiat iudex Christum quicunque trucidat,
Qui Barabæ fautor mandet obire bonos.
Hoc age quod rectum, statuit quod regula iuris:
Non fauor, aut odium iudicis ora tegat.
Vrsa piam visus simulac liquisse Lucernam,
Ostia Tugino concitus amne rapit.
Est lacus: ac lacui dat nomina Tugion arcto:
Et mare contigua Tugion vrbe subit.

Flu-

Flumina Tugino simulac deduxit ab æstu
Ardua prosequitur latius Vrsa fugam.
Præterit à dextris Bremgardi culmina: læuo
Limite Mellingi iugera purgat aquis.
Cedit apud Brugas Arolæ, spelea Gotardi,
Quem caua progenerant leniter Alpe satum
Solis ad occasum gelida descendit ab Arcto:
Dissecat Haslentæ mœnia: valle natat.
Præterit ad dextram salebrosa culmina Brentis:
Brentis & innocuo dissecat amne fretum.
Inde freto raptus spectat montana Beati
Atria: Tunæum diuidit æquor aquis.
Vertitur hinc Bernam. peninsula vapulat vndis.
Berna; sed elati vertice collis agit.
Vallis hiat, per quam defertur flumine Sana:
Ditia Nut bonum fluctibus arua rigat.
Vallibus orta procul Sensena cornua ducit:
Flumine Senseni mœnia nomen habent.
Nam Sensena simul Senseni præterit arceis,
Ardua Lupenni defluus arua rigat.
Per scopulosq; fertur tenui Sensena fragore:
Piscigera multum fertilitate valet.
Mox Sana miscetur aquis: dum pascua radit
Mox proprias Arolæ Sana relinquit aquas.
Ast Arolas rectà fertur conuersus in Ortum:
Circuit Arbergi mœnia: cingit agros.

Tur-

Turgidus excelſo Salodurum præterit amne:
Quæ tenet vrbs priſcæ fragmina turris amat.
Hic Arolas Arolæ ſignat cognomine terras:
Irrigat Arburgum: mœnia colle ſedent.
Oltenum montis ſubigit radice leuatum:
Hinc Arauinea tecta cohortis obit.
At prope Lenſpurgas pelago deducit ab acri
Flumina. Lenſpurgis prouenit vnda freti.
Iuraſſus. *Mons Arolæ iuxta læuam Iuraſſus obitur:*
Non procul à Rheni gurgite colla leuat.
Incipit Arcturi metis: aſcendit in Auſtrum:
Culmina Brugarum deſerit aqua iugis.
Botzerberg. *Dum ſubit Habſpurgas Vocatia nomine rupes*
Dicitur. Hinc aliò ductile flectit iter.
Præterit anfracto Farſpurgum tramite verſus:
Hinc Arauineæ rudera ſedis adit.
Scaffmatz. *Nomina mutando Iuraſſus plurima, notum*
Scafmaticæ nomen rupis inire parat.
Dum ſubit Oltenij ſcopulos, comitatur & arcem:
Niderhouuenſtein. *Dum procul Homburgi culmina rupe leuat:*
Inferius cæſa deducit nomina caute:
Vix Latios patitur nomen habere ſonos.
Oberhouuenſtein. *Ducitur hinc circa Balſtallas flectitur: illic*
Altius exciſæ nomina rupis habet.
Ardua proceræ tolluntur ad æthera cautes.
An locus aurigæ dirior eſſe queat?

Qui simulac curru montis spelea subiuit,
Cogitur in medio sistere crura gradu.
Despiciat quacunque metu deuexas oberrat:
Reste ligans currum valla subire docet.
Hic quoque mons nomen mutat:nā consona rebus Vuasserual
Labilis ex casu nomina mutat aqua.
Deflua praecelso labuntur flumina monte:
Hinc etiam monti nomen inesse potest.
Perula non rupeis interfecat area planè.
Mons patula nusquam valle diremtus hiat.
Ardua continuo sublimis ad aethera greßu
Tollitur. Excurrit saepius ora iugo.
Triginta stadijs Basileiae cernitur vrbi:
Adiacet & stadijs quattuor atque decem.
Dicitur ad Birsim Blauinia nomine rupes: De Blauu.
Qua nihil ad nubem celsius ire valet.
Quae simulac propter Delspergas vertice serpit, Delſberg pagus.
Nonnihil hinc solito desinit ire gradu.
Se quia subducit gracili mons limite tanquam
Perditus: in vallem saxa per ima cadit.
Intermißa redit cautes; aequatur Olympo
Mons vbi longinquae moenia Belis adit. Niēburger see.
Desuper aspectat, quod Aenticon accolit, aequor:
Heluetias circum stagna tuetur opeis.
Haec & stagna noui cognomine praedita Castri:
Vnde Nienburgi nomen inheret aquis.

Si pla-

Si placeant totum ſpectanti Nerea dotes,
Hoc aqua num pelago cultior eſſe queat?
Conſita florenti ſepitur palmite ripa:
In freta deſcendit montibus humor aquæ.
Subdita caſtrenſes deſpectant æquora pagi:
Mœnia præcelſo ſuſpicit vnda ſitu.
Dira ſed ætatis damnauit Aenticon ira:
Vrbs ſteterat quondam clara: receßit honor.
Dißidet vlterius Stephiſia, proſpicit Auſtrum.
Nobilis hinc Zilæ flumen ad æquor abit.
Flumen ad æquor abit nitido venerabile fluctu:
Propter Ebroduni clauſtra relinquit aquas.
Solis ad occaſum Granſenæ ſubiacet æquor:
Hîc etiam nimio Iura rigore riget.
Nobile Parrhaſio petitur Neocomion axe,
Vnde mari nomen cauſſa dediſſe poteſt.
Candida Landeram coeuntis littora ponti,
Quà latus ad reſonum carpitur vnda, leuant.
Belis & Erlacum, quà Sol exurgit ab vndis,
Aequorei ſeruant littus vtrunque ſali.
Vlterius ponto reſidet Mortena frementi:
Vrbs non immeritò nomina mortis habet.
Hac Burgundionum dirimens tot millia morte,
Integra cæſorum corpore tecta replet.
Oſſe nec humano mœret, dum ſepiat hortos:
Triſte nec exemplum funeris ipſa timet.

Ter-

Terreat exemplum peregrinos, accola spernit.
Incola Mortanæ laudibus astra ferit.
Ast vrbs præcipuo Moretum nomine fertur.
Hæc satis: ad Iuræ fragmina rursus eam.
In mare præcelso speculatus vertice Iura
Sæpius exurgit, comiter instat aquis.
Triginta stadijs hinc se subducit hiando
Vallibus: ast tandem celsior arce redit.
Celsior & Rhodope, vel operto quercubus Ossa
Altior: illustri sydera caute ferit.
Solis ad occasum recta procedit ab Euro.
Horridus aspectu visitur esse locus
Perpetuo subeunt speleia cacumine montem:
Iura nec in monteis altior ire valet.
Scilicet haud quisquam fastigia scandere montis
Sustinet: aſcendi tramite Iura nequit.
Pagus vbi celso Dachueldia culmine surgit,
Cautibus & rigui flumina Birsis eunt:
(Flumina Birsis eunt Basileiæ mœnia versus,
Et liquidis Rheni conciliantur aquis)
Iulius exceso lacerauit vertice montem,
Sequanicis postquam bella moueret agris.
Fecit iter, petram scindens, speleia patere
Fecit: inaccessum calle diremit iter.
Vix spatio callem poteris finire diei, Pirreport.
Limite tam longo semita montis hiat.

Petra

Petra loco nomen tribuit percußa cauato,
Hic vbi desciso fragmina monte patent.
Quid labor, aut virtus, aut, q; domat omnia ferrũ
Soluere, quid ratio temporis ipsa nequit?
Inuideat tanto rerum Natura labori:
Vix homini credat tanta licere Deus.
Nonne viam monti domitrix Natura negauit?
Nonne sub exeso semita monte patet?
Caucasus abrupto portarum limina monte
Pandit: iter populo Taurus vbique facit.
Caspius expanso reseratur limite vertex:
In Casio sectum monte foramen hiat.
Antea constiterat qui littore, cingitur vndis;
Clauditur Aegeo, carbasa gestat Athos.
Suetica quin Alpis toti stat peruia mundo:
Heluericis casum Scala ministrat iter.
Gracia Thermopolis ascenditur; Alpibus ora
Itala, Iuraßo Sequanis ora patet.
Non ea Naturæ panduntur robore claustra:
Claustra sed humanus pandidit ista labor.
Ad parteis Arolæ, quo sum digreßus eatur.
Fert Arolas vndam, nec satiatur aquis.
Præterit hic Brugas: sub Brugis digerit Vrsæ
Flumina, Vindonis nomine nota prius.
Stat quia Vindonis tenui iam nomine clara:
Transit in pagi culmen & vrbis honor.

Amni

Amnibus ex Limago tandem ſudante receptis
Impetus haud Arolæ grandior eſſe tulit.
Clingoias infra Rhenum labente ſubintrat
Flumine: ſic iuris deſinit eſſe ſui.
Nomen ab euentu reſtat, quod confluat vnda. Cabolz.
Hæc pater ad læuam flumina Rhenus habet.
Scire cupis quanto Rhenus defluxit aquarum Epilogus libri Primi.
Limite? ſic itero fluminis ergo viam.
Incipio Rheni fontem luſtrare prioris:
Hæc, vbi fert Arolam Rhenus ad arua ferat.
Mille viam fecit ſtadijs: triginta ſuperſunt,
Et totidem: conſtat meta Matheſis ope.
Vt ſpeciem Lunæ valeant præferre bicornis,
Ludere tam curuo flumina calle vides.
Id faciunt montes, quorum tranſire cacumen
Vnda nequit, quorum caute repulſa fugit.
Orbifluos ergo conatur inire Meandros
Rhenus, & hamato circinat orbe vias.
Si potius metæ placeat menſura pedeſtris,
Semita tum votis aptior eſſe poteſt.
Anterior metis Arolæ ſuccedit aquoſi
Rhenus, & exempto ſtringitur orbe locus.
Fit via dimidio minor: & ſex millia paſſûm
Et ſexaginta continet: adde fidem.
Omne parallela ſpatium decreſcit amuſſi.
It duce qui fluuio luditur ergo comes.

Finis libri Primi.

LIBER RHENI SECVNDVS A CONFLVENTIA AROLAE ET RHENI, vſq; ad Confluentiam Rheni & Nicri, ſiue Manhemiam

ARGVMENTVM IN LIBRVM RHEni Secundum à Cabolt z ſiue Confluentia ſuperiori, ad confluentem Rheni & Necchariu, vbi oppidum Manhemia exiſtit.

RHenus acceptis Vuta & Sluta ad dextram fluminibus, oppidum Rauracum primum Vuoldeshutam alluit.

A Confluente ſuperiori vſq; Vuoldeshutam ſunt ſex & decem ſtadia. Rhenus à dextris Albulam fluuium accipit: & inde alluit dextra lœuaq; Lauffenbergam Rauracũ ſecundum oppidum: duo autem ſunt oppida: ſed maius cum arce à ſiniſtris eſt: eſt ibi Cataractes Rheni minor,

nor; qui, quamuis altitudine non cedat maiori, tamen non tam periculosus est.

A Vuoldeshuta vsq; Lauffenbergam sunt decem mille passus.

Apud Lauffenbergam sic latera Rheni vtrinque coeunt, vt tota latitudo vix iactum lapidis excedat.

A Lauffenberga ad insulam D. Fridolini sunt sexaginta & quatuor stadia.

Rhenus Siccingiam, à Sequanis sic dictam à sinistris alluit; estque hoc oppidum tertium Rauracum quamuis ab aliena gente nomẽ obtineat: postea à dextris Suerstadium, à sinistris Rhinfeldiam alluit. Rhinfeldia est Rauracũ oppidum quartum: quasi campus Rheni dicitur: in Rheno.n.nihil tumultus iam erit: sed placidus, veluti in æquoreo campo labitur. Ab insula D. Fridolini vsque Rhinfeldiam octo millia passuum sunt. Est tamen aliquod Cataractæ genus apud Rhinfeldiam; quod tamen, quia innocuum ferè est nautis, minimũ periculi præ se ferre potest: vocatur ab accolis Hellehaken, quasi Inferni vncus. Rhenus Er-

getum fl. à ſiniſtris habet.

Placido igitur Rhenus curſu Auguſtam Rauracum quondam metropolin à lœua parte alluit: miſerabilis apparet iam pagus: varijs in locis, longè lateq; rudera murorum, et ruinarũ ruinas videre eſt: indicia certè adhuc Auguſtæ vrbis auguſtiſsimæ cernuntur vulgò præſentiſsima. Baſileia ex huius vrbis relliquijs ædificata dicitur.

Inter Rhinfeldiam & Auguſtam ſunt quadraginta ſtadia.

Rhenus ad lœuam quingentis ſupra Baſileiam paſsibus Birſim fl. accipit.

Baſileiam maiorem à ſiniſtris, minorem à dextris alluit: habetq; Rhenus inter vtranq; ciuitatem in latitudine 604 pedes.

Inter Auguſtam Rauracum & Baſileiam Sequanorum quinquaginta ſunt ſtadia.

Rhenus accepto ad lœuã Briſaco flumine, à dextris Vueſim flu. accipit. Iam ſeſe vertit planè in Boreã: à dextris Candelam fl. excipit: Iſtænas præterit: pagũ Cam-

Camnesum à sinistris proximè; è longin quo autem Othomarsum oppidulũ deserit: à dextris Neuuéburgum oppidum proximus alluit.

A Basileia Neuuenburgum vsq; sunt centum stadia & duo millia passuum.

Brisgoiæ Rheno à dextris altius imminent.

Inter Neuuenburgum & Brisgoeas duodecim mille passus numerantur.

Rhenus Brisacum oppid. à dextris alluit; nec non Burcanum habet vicum.

Inter Brisacum & Burcanũ, sunt triginta & duo stadia.

Inter Burcanum & Limpurgum eadem distantia.

Inter Limpurgũ & cõfluentem Rheni & Eltisij sunt sexaginta stadia.

Rhenus à sinistris Elsatiam & Rhino uiam prouincias præterit.

Inter confluentem Rheni & Eltisij vsq; Rhinouiam sunt duo mille passus.

Rhenus à dextris fl. Scutterã excipit.

A Rhinouia vsque Scutteram fl. centum sunt stadia.

Rhenus inde Cinticum flu. à dextris excipiens; Prusim flumen, & cum eo Ellum, siue Alsam (vnde Alsatiæ nomen) à sinistris habet, quæ flumina inæquales in partes Argẽtoratum diuidunt, & sub vrbe coniunctis labris Rhenũ influunt.

Inter Scutteram fl. & Argentoratum nonnihil à Rheno remotum, quinquaginta numerantur stadia.

Inter Argentoratum & Sornam fluuium sunt decem millia passuum.

Rhenus sub ciuitate Rennichia Rennichim fluuium à dextris accipit.

Inter Sornam & Rennichim flumina sunt triginta & duo stadia.

Rhenus à sinistis Maltã flu. excipit. Stolhoueum verò à dextri præterit.

Inter Rennichim & Stolhoueũ octo mille passus.

Inter Stolhoueum & Hochelshemũ octo millia passuum.

Inter Hochelshemum & Benhemiam quinque mille passus.

Inter Bẽhemiam & Saletium oppida à sinistris quatuor mille passus.

Rhenus

Rhenus à dextris ſub Raſtadio opp. Murgum flu. digerit: à ſiniſtris verò flumen habet Lutterum.

Inter Saletium & Lutterum ſunt ſex millia paſſuum.

Rhenus Mulpurgũ à dextris oppidũ nõnihil remotũ pręterit: à ſiniſtris quoque proximè Rhenanas & lõgè montanas Tabernas habet: præterea à dextris Screcanum et Linchemiam: à ſiniſtris autem Germarshemam prætérfluit.

Inter Lutterum flu. & Germarshemam, centum ſunt ſtadia.

Inter Germarshemam & Vdenhemiam, à dextris opp. quatuor mille paſſus.

Inter Vdenhemiam & Rhinhuſiam, ſtadia viginti & quatuor.

Inter Rhinhuſiam & Speiram (quæ ad lœuam nonnihil à Rheno diſsidet) ſunt duo mille paſſus.

Rhenus apud Speiram accipit à ſiniſtris riuum Leporinum, qui dicitur noſtro idiomate, Der Haſen poel.

In Septentrionem Rhenus vertit faciem: & vtraque parte paſsim exceptis

fluminib. ſpatioſo mõtes fluctu diſſecat.

Rhenus fluuium à dextris Cręțiam accipit.

Inter Speiram & Cræțiam fluuium, ſunt duo mille paſſus.

Rhenus à ſiniſtris Alripam, quaſi Altam ripam Romanorum quondam aduerſus hoſtes munimẽtum, alluit: ibiq; Luttherim flu. accipit.

Inter Cræțiam & Luttherim flumina, ſunt viginti quatuor ſtadia.

Rhenus poſtea à dextris Nicrum ſiue Neccharim flu. iuxta oppidum Manhemiam habet.

Inter confluentẽ Rheni & Luttheris, & Manhemiæ ſunt quadraginta ſtadia.

Rheni igitur longitudo à confluente Rheni & Arolæ & Manhemia, habet mille, quadraginta & viginti octo ſtadia: quæ faciunt miliaria Germanorum, communia, quadraginta quatuor, ſic ſuperſunt viginti ſtadia.

Nunc

Nunc operis summã primi scriptura peregit:
Alterius summam pergit inire libri.
Dum meditor Rheni doteis, admiror abundè.
Illius ad laudem pandere vela labor.
Aduolet Europe Phœnicum filia regis:
Num satis ad fluuij commoda ferre queat?
Si populos dico, non sat narrare popellos:
Dixero tecta licet, dicere tecta parum.
Carmine mensurus facili non omnia pandam
Commoda: pro multis pandere pauca libet.
Et satis effectum, nostro si paucula Marte
Attigero. Reliqui plura referre queant.
Cur ego nõ, Mundus quæ laudat flumina, laudem?
Flumine num patrio clarior extat aqua?
Rhenus erit carmen: coniunx dicatur aquarum:
Ister at vxoris nomine spretus eat.
Cærula deserto transcurrunt æquore Rhenum
Numina, spumanti Nereos orta salô.
Candida Naiades venerantur fluminis arua:
Ad pia luxuriant fluminis arua Deæ.
Se comitem Doris præbet grandæua Thaleiæ:
Et Thetis it Theti regna sub vda comes.
Leucathoe faciem decorat, Galathea capillos:
Lactis & hæc specie candicat; illa niuis.
Amphiroe nomen Rheni sortita fluentis:
Amphiroe Rhenum docta secare manu.

Eurymedusa mouet scopulos, Panopœa Tridētem
Flumina Plexaure motibus acta quatit.
Pascitur Amphinome, dum verberat ostia, ripis.
Hammothean refici spectat arena vadis.
Quæ Venerem pulcro superat candore Pherusa,
Molliter alueolo fluminis ire solet.
Cymodoce Rheni placat fontana tumultus:
Cymothoe facili currit abacta pede.
Incola speluncæ Speio luctatur in antris.
Dinamene nimium feruet operta vadis.
Cærula non Proto classeis in naufraga fundi
Saxa sinit: Doto fertur amica scaphis.
Callianeira viros animi grauitate venustat:
Imperitans sceptrum Callianassa gerit.
Flauet aquis Xantho: quatitur stridore Lygæa:
Phyllodoce folijs ornat amicta cutim.
Vitrea seiungit consultrix flumina Metis:
Et vitreo Rhenum crure Nesæa fugit.
Callithoe fluctus niueo depingit amictu:
Nais & vndisonæ carbasa vestis init.
Dexamene Lymphas subigit, visura profundum:
Amphythoe Rodian gestit aquosa sequi.
Non Acamarchis abest pluuio generata liquore:
Imprimit hæc ripis oscula: libat aquam.
Hinc Ianeira subit, iuuenum subitura lacertos,
Dum iuueneis nando stagna secare docet.

Has

Has mihi Nympharum tribuit cognoſcere doteis,
Quæ ſtudijs Erato cuncta licere facit.
Ad choream vitreæ veluti ſaliere ſorores,
Peleos vt ſponſi cerneret ora Thetis.
Cum Thetis arderet iuuenili viuida ſaltu:
Cerneret ac facili gaudia mente daret.
Cũ genitrix thalami quateret Citherea lacertos
Cum ſurreptitius corda moueret Amor.
Tunc velut ad menſas, iam ſic ad flumina Rheni
Cærula Naiadum ducitur arte chorus.
In nitidas agili coeunt pietate choreas
Brachia: nec Diuæ puppibus ergo nocent.
Qualis ab Orphæo procedit gutture cantus,
Talis ab harmonico prouenit amne ſonus.
Prouenit amne melos Superi quod noſcere tantũ,
Quod, quibus eſt vatum gratia, ſcire queunt.
Naiades extremo ſtipantur margine Fauni:
Sæpius & Satyri rura per vda natant:
In fluuium ſegni vehitur Silenus aſello:
Caua vadis aſinum ridet abire Thetis.
Capripedes alma ludunt cum Doride Panes:
Carmina Tritonum percipit aure Dryas.
Sæpius incurrunt vicinæ flumina vites:
Vitigerum lambit ſæpe procella nemus.
Nec ſubit hinc Baccho damnum, nec fluctibus iræ:
Puniceo Bacchus gaudet ineſſe vado.

Amni-

Amnicolas inter nando certare puellas
Terrigenis fecit scena licere Deis.
Amphithoen lambunt Panes: conprensa Dearum
Fluctibus immisti brachia Panes agunt.
Sub pia nonnunquam fluitantes æquora Nymphæ
Panas agunt: risum nemo tenere valet.
Syluanis mixta ducunt impune choreas:
Sub vada Syluanum sæpius vda trahunt.
Aequore submersum retrahunt ex æquore: nudi
Flumine Syluani crinis & ora fluunt.
Qui simulac sese manibus subduxit earum,
Effugit hunc sequitur cærula voce phalanx.
Discurrit ripa Syluanus, & omnia Rheni
Numina: spectator risibus ora leuat.
Carmina nonnunquã Thetis inter agrestia pãgit
Numina, dum medio Phœbus in axe volat.
Trans freta nonnunquã Dij sulcant vitrea lembo
Caudiceo: iuncis æquor arare solent.
Hæc Superi tantum spectant ludicra: Camœnis
Hanc quoque sub scenam crebrius ire datur.
Non ea deformes accedunt flumina Phocæ:
Scylla nec informi territat ore rateis.
Non Aquilo nautis audet turbare quietem:
Leniter inuertit flamine vela Nothus.
Stipite cæcus eat Siculum Polyphemus in æquor;
Non fluuios audet prædo subire pios.

Hor-

Horret aquis Rheni cadem tentare Procrustes:
Flumina Cephisi subiuget, apta malis.
Vtraque Rhenano iuuenescit palmite ripa.
Diuite quid Rheno ditius esse rear?
Optima supprimerem viridantis munera Rheni,
Munera Naiadum diuite parta sinu?
Danubius cedat sterili velatus arista:
Albis & irriguus paupere cedat aqua.
Iudice vel Methi Rhenus cum Nepride certet:
Cum Tanai certet Rhenus: vtroque minor.
Fertilior Tanai Rhenus dicetur opimo:
Aptior ad frugem Nepride Rhenus erit.
Flumina sint Rheno quamuis maiora, quid obstat;
Maxima si fructu gurgitis vnda caret?
Nec spatium iuxta fluuij metimur honoreis:
Aestimo nec quantus corpore surgat homo.
Saepius Oceano foecundior aequore riuus:
Oceanum vincit fertilitate latex.
Non homo, si vincat Polyhemum corpore spectes:
Quem ratio decoret sancta, probetur homo.
Non age, si multo delabitur agmine Rhenus:
Hoc age, si rerum copia ditet aquas.
Nascitur ad Rhenum, quod vel Natura, vel aetas
Exigit: hic quicquid nascitur, vsus amat.
Aura nec ad Zonam, quae frigus temperat aestu,
Aura nec ad Rhenum sanior ire potest.

Nil fateor Rheno tribuit Natura secundum.
Attamen hoc aliquod flumine maius agam.
Accola sit Rheni patrio cum flumine magnus:
Accola Virtutum nomine; Rhenus aqua.
Accola sic Rheni moreis ex indole traxit;
Rhenus vt Alpino flumina monte capit.
In populo virtus, nunquam tollenda manebit:
Rhenus in Oceani gurgite perdit opeis.
Omnia virtuti cedunt, non omnia Rheno:
Haec abit ad Superos: ille sed orbe manet.
Tollere Virtutum doteis, est tollere cuncta.
Si pereat Rhenus cuncta perire putem?
Non puto. Totius concurrant flumina Mundi:
Maior erit virtus: fine soluta manet.
Flumine quod virtus, hoc accola flumine praestat:
Accola sic Rheni flumine maior erit.
Maior & Oceano, qui circuit omnia, patre.
Haec populo virtus in ratione sita.
Accola Rhenani memoretur gurgitis: vnda
Quae subit in Rheni flumina, carmen erit.
Rhenus habet dextra Vutam; mox cornua Sluta.
Moenia Dungeni flumine Vuta secat.
Clechgoias fluctu tandem discindit arenas,
Latobrigi nomen fertur habere locus.
Et stadijs gyro totum claudente trecentis
Circuitum tellus margine stricta patet.

Mille

Mille nouem passus lato sortita recessu
Terra; nec ad spatium longior esse potest,
Sluta nec exili remoratur cornua fruge:
Maius ab exiguo prouenit amne bonum.
Labitur vbertas in agrorum viscera limo
Irriguo: passim terra rigatur aquis.
Sed prius ac vasto socient se flumina Rheno,
Mutua confluxu iungere labra parant.
Heluet icam dextra Rhenus prospectat Eremum;
Quod nunc Harcinium dicitur esse nemus.
Ast latus ad læuum statuêrunt mœnia Galli;
Quos spatio Rheni læua patente colit.
Gallia virtutum genitrix, & nescia praui
Natio: maiorum tempore clara fuit.
Hac animi virtute nihil concessit Hyberis
Gentibus: hac fidei nomine maior erat.
Gallia Pyrenen, vbi Phœbus in æquora fertur;
Quà redit, Alpina prospicit arua niuis.
Quod superest, Rheni læua finitur; ad vsque
Cærula Teutonici pertinet alta maris.
Quà Nothus, ac Aquilo glomerātur in æquora lati,
Fluctibus à gemino vapulat ora sale.
Gallia diuerso distinguit nomine Gallos:
Quattuor in parteis limite secta cadit.
Belgica Narbonen, Aquitanos Celtica spectat:
Gallia fit quadruplex gentibus; vna situ.

Ne re-

Ne regio coeat Gallis Hispana, supino
Ardua Pyrenes vertice sylua facit.
Gallia spectat vbi Latium, remouetur in Euros:
Occiduas regio spectat Hybera plagas.
Hæc Afris semota freto conscendit in Austros:
Nota sed Arcturi faucibus illa iacet.
Hancque Parallelus, qui dicitur ordine quartus
Dissecat: in quinti labitur illa locum.
Hæc loca Zodiaci subiens, iacet obuia Phœbo:
Longius à Phœbi dissidet illa vijs.
Hæc nimio Solis veluti feruore liquescit:
Frigore sic nimio contrahit illa solum.
Hæc grauidas vario distendit aromate classeis:
Illa suis rarum gestat aroma scaphis.
Hæc populi vultus obscurat, durior æstu:
Mollior humenti candicat illa gelu.
Hæc teneras nigro spurcat feruore puellas:
Fronte sed albata virginis illa nitet.
Hæc mera non multo producit palmite multa:
Palminis est fructu ditior illa sui.
Hæc modicum carnis, modicū Cererisq; reportat:
Illa cibo nulli gaudet vtroque minor.
Hæc vt rara solo, sic educat optima: multum
Illa dat; haud æquè dixeris esse bonum.
Vix capit hæc imbrem: fossas ex flumine ducit:
Amnibus illa scatet; redditur imbre ferax.

Sapi-

Sæpius hæc sterili mulierem deserit aluo:
Rarius in sterili fallitur illa thoro.
Hæc populos duro membrorum robore munit:
Robore membrorum fortius illa valet.
Hæc celereis agili circunfert corpore gyros:
Mole sed egestum corporis illa grauat.
Hæc leuitate pedum stimulat volitare cohorteis:
Pondere membrorum segnius illa fugit.
Hæc non tam manib. quàm prouida dimicat astu:
Corporis, haud animi dimicat illa bonis.
Artibus hæc Martem peragit, non artubus: illa
Artubus est nimium freta; sed arte parum.
Hanc sonipes trito commendat puluere missus:
Ast equitum turmis illa præire solet.
Hæc sua dissimulat; tacito meditatur & ore:
Illa sed effundit singula more cribri.
Hæc, ad res properat tardè, matura gerendas:
Tempore sed rapto præterit illa moras.
Hæc quia sedato vindictam pectore differt:
Vindice mens illam concita bile premit.
Hæc odium retinens apto fit tempore vindex:
Temporis ast iram sustinet illa breuis.
Concitat internis hæc nunquam motibus arma:
Illa sed in populo crebrius arma mouet.
Hæc dominis seruasse fidem laudatur vbiuis:
Regibus imposuit crebrò sed illa suis.

Apta viro grauitas hanc morum dotibus ornat:
Ast leuitas illam mutat; inepta viro.
Hæc sua subtristi mentitur gaudia vultu:
Pronior ad chorean militat illa iocis.
Hæc remouet mensa nugas; & seria tractat:
Seria nil faciens, vtitur illa strophis.
Hæc interponit dulci lamenta Thaliæ:
Dulcius ex animo concinit illa melos.
Hæcq; merum potat; tenui quod diluit vnda:
Quod bibit, haud vnda diluit illa merum.
Hanc moderata iuuat frugalis copia mensæ:
Aptior ad mensam victitat illa bene.
Victitat hæc modicis, & dulcibus vtitur: illa
Victitat immodicis prodiga dulce sapit.
Hæc iuueneis falso sponsa persuadet amari:
Illa sed ardorem fingere docta tacet.
Hæc specie pulcram, gestu perquirit inertem:
Illi fronte rudis, pectore læta placet.
Hæc prohibet vino refici spumante puellas:
Nec tamen his vsum sustulit illa meri.
Hæc decorat stulto mulierum corpora fastu:
Aut nihil, aut fastus excolit illa parum.
Hæc cerussatæ miratur virginis ora:
Pingere cerussis negligit illa cutim.
Hæc non externos lautè, sed duriter ambit;
Quos tamen hospitio molliter illa fouet.

Hæc non obsequijs hominem dignatur adire:
Omnibus obsequium desi:nat illa modis.
Hæc procereis æquo ceu vix illustrat honore:
Sic merito procereis illa fauore colit.
Hæc subdifficili tardat sermone loquenteis:
Perfacili linguas illa tenore mouet.
Hancq́; superstitio super omnia detinet omnis:
Tot cæremonijs illa vacare nequit.
Hæc Indum proprijs inuenit classibus orbem:
Illa sed abstinuit classibus; apta solo.
Amplior hæc longis regionum faucibus exit:
Arctior ast laterum faucibus illa coit.
Hæc loca destituit cultoris inania fruge:
Omnibus ad frugem competit illa locis.
Hæc latebras effert, auri rimata fodinas:
Aurum vel latebris, merce vel illa legit.
Hæc valet ingenio multum, nil discere curans:
Cultior ingenij nisibus illa viget.
Hæc didicisse parum, putat omnia noscere prorsus
Esse: sed illa putat noscere cuncta, parum.
Hæc nunc emergit maiorum cultior æuo:
Sensim degenerat dotibus illa patrum.
Hæc triplicis sese partitur nomine regni:
Quattuor in parteis dissecat illa solum.
Hæc triplici, tanquam peninsula, clauditur æstu:
Limite sed gemino distinet illa mare.

Vrbs nemorum Tutela subit, vicina fluentis
Rhene tuis: dextrum gaudet adepta latus.
In Rheni dextram misit quoscunq; sinistra
Rauraces, hæc nitida continet vrbe sitos.
Ast reliquis, quorum superat farrago nepoteis,
Pars patriam Rheni læua reliquit humum.
Mille duo passus nemorum Tutela recedit
Hinc, vbi nunc Arola flumina Rhene capis.
Harciniam longo confinia limite syluam
Exhibet: his resinæ nomina lucus habet.
Ante Boemorum monteis admisit: ad vsq;
Sarmaticos egit sylua Polonos iter.
Quas alit, Harciniæ Picearia debuit alnos:
Harciniæ syluam debet Odonis ager.
Huc quoq; querceto Thuringia diuite cessit:
Huc quoq; Cattorum fagina cessit humus.
Intima Francorum tellus hac clauditur ora.
Tam potuit vasti sylua fuisse situs.
Ad Boream ferme montes adduntur Abnobi
Harcinia: montes transiliisse vetor.
Ipse nec Arduennam concedo saltubus addi
Harciniis. syluam Rhenus vtranq; secat.
Accola syluarum parteis abscidit: in arua
Et segetum campos fecit abire nemus.
Eruta Romano patuit vel milite sylua:
Hospite vel proprio perdidit illa comas.

Albula

Albula dextrorſum Rheno coniungitur albæ;
Pulcrior Harcinijs Albula pene vadis.
Mille decem paßus modo Vuoldeshuta recedat,
Arx ſubit: arx læuam fluminis alta colit.
Accolit vrbs arcem, Cataractæ motibus apta:
Ex fluuij curſu nomen adepta fuit.
Rauraces vrbe ferunt illic reſidere ſecunda.
Ponte tumeſcentes diſſociantur aquæ.
Vrbs ſpatio maior Rheni ſortita ſiniſtram:
At minor ad dextram fluminis apta ſedet.
Hîc remoratur aquas ſcopulo Cataracta minori:
Deflua præcipiti labitur vnda gradu.
Montibus aſtricto riparum limite Rhénus
Tollitur; ac tenui concitus ore ruit.
Vix ſpatij tantum Rheno Natura reliquit,
E manibus quantum poßit inire lapis.
Non ita decliui Cataractes vertice fertur,
Quam prior: eſt illo caſibus ergo minor.
Non prior admittit claſſes: hic carbaſa reſti
Sub iuga dimitti ſæpius ima videt.
Cura quibus vitæ perijt, perſæpe carinæ
Præcipites audent deſiluiſſe vias.
Hoc paucis ſuccedit iter. Reddenda Tonanti
Et ratio vitæ ſemper habenda venit.
Quod nobis præcluſit iter Natura, malorum
Præcipiti nemo debet obire gradu.

Paßibus hinc octo descendunt flumina mille;
Flumina decliui latius acta scrobe:
Quum subit vndisono circundata gurgite tellus,
Insula Fridlini nomine clara senis.
Quod sua Germanus concesʃit nomina Rheno,
Iam liquet:ex cursu nomina Rhenus habet.
Impete decurrit vehementi Tygridis instar:
Instar Pantagiæ flumina rupe sonant.
Tertia iam subeo,quæ Rauraces oppida seruant:
Virginea colitur nobilitate locus.
Rauraca Sequanico Sequingia nomine fertur:
Sequanis haud sacci nomine terra valet.
Suerstadium pagi quamuis damnetur honore,
Vrbs fuerat:dextra cedit abacta manu.
Accolit illustris læuam Rhinfeldia Rheni:
Rauraces hic quarta poßidet vrbe locus.
Hic medijs Rheni,scopulo constructa,procellis
Arx stetit:haud ista firmior arce domus.
Arx didicit quicquid vario Fortuna ministret
Turbine:dum superat,vincitur:amne ruit.
Insula Fridlini Campis est dißita Rheni:
Mille quidem paßus octo remota iacet.
Hic minimus agitur ratium Cataracta periclis:
Vncus & inferni dicitur eße locus.
Vtraq; discedat vasto quod limite ripa,
Incipit hinc fluuio latior eße via.

Sternitur

Sternitur expanso riparum margine Rhenus:
Nil ideo flumen quod remoretur, adest.
Ergo per euentum Rhinfeldia nomine fertur:
Aequore nam campi flumina Rhenus agit.
Excipit ad læuam resonantis brachia Farræ
Rhenus; & Ergetio plenior amne tumet.
Hîc Augusta iacet, Rheni sortita sinistram
Rauracis: ex domina visitur vrbe parum.
Quattuor Augustam Rhinfeldia passibus abdit
Mille: sed addantur millia quinq; pedum.
Nil sub Sole manet: nam Sol mutatur & ipse:
Huius & in pagum transijt vrbis honor.
Pyramidum calcant veteres segmenta ruinæ:
Effoditur Latium sæpe numisma iugis.
In iuga vicorum desciscunt culmina: turres
Mœnibus, & sterili mœnia valle cubant.
Tecta nigris procerũ latitant salebrosa cauernis:
Fana iacent nullo restituenda die.
Vndiq; murorum spectantur rudera: fossis
Suppositis terræ mira videre datur.
Et procul à pago visuntur fragmina muri:
Fragmina visuntur turris: at æqua solo.
Area sulcatur multorum vomere trita:
Area multorum vitibus arua tegit.
Vel loca maceries domuum lapidosa coercet;
Vel sterilis segni terra laborat ope.

Sic Babylon monstrat glebis immista ruinam:
Sic magna Treuerim parte ruina tegit.
Ardea iam cinereis exuscitat, ardua quondam.
Sunt Tyrus & Sidon nomina: restat ager.
Quid refero Theben, præstantis mœnia Cadmi?
Mœnia vix Cadmi puluere signat humus,
Quid memini Troiam? Troianæ gloria fortis
Interijt: Troiæ signa videre nequis.
Vrbs Burgundionum defecit Alexia Belgis.
Et Niniue quondam magna, peregit opus.
Turpibus infœlix vestigia quæritat aruis,
Quæ Pelopis quõdam gemma Corinthus erat.
Sicut Athenarum muri quæruntur Athenis;
Quæritur Augustæ priscus in vrbe nitor.
Diruta Samnites Samnitum mœnia quærunt:
Rauracus Augustæ culmina quærit ager.
Eruta confines ignorant culmina turbæ:
Culmina calcator rupibus æqua terit.
Rauraces amisso cepêrunt nomine finem:
Nomen apud doctos Fama perire vetat.
Id doctos Fortuna sinit præstare, negatum
Quod rudibus. Fasti scripta manere solent.
Hæc Augusta tibi venit iactura per Hunos:
Tam tibi, quam reliquis officit ira Dei.
Te series multo struxit sudore parentum:
Te grauis ætatum sollicitudo dedit.

Diuitias

Diuitias in te regum Fortuna locarat:
Omnia Barbarico sustulit hoste dies:
Omnia fatorum properanti diruta clade:
Quæ lux non dederat funditus vna rapit.
Sed præstare diem, quis, talia, crederet, vnum?
Intereunt magno parta labore citò
Sustulit Hunorum virtus, quod reddere nescit:
Si tamen est virtus sternere cuncta solo:
Insontem truncare, genus seruare nefandum,
Perpetuis Mundum depopulare malis.
Quod magis; excelso subijsti vertice cœlum,
Tangere quid cœlum profuit? ima tenes.
Vt rueres, ergo summum lucrata cacumen,
Altior vt casus tolleret æqua Deo?
Fata recesserunt abs te iucunda Deorum.
Quid tibi maiorum profuit ergò labor?
Ah nihil. Ah quoties lachrymabile pectora telum
Impetit, ipsa queri desine: cura nihil
Cura nihil reddit melius: tantisper amara
Permanet hæc, corpus donec & ossa ferat.
Lachryma fatalis non reddet stamina fusi,
Stamina fælici leniter acta colo.
Tempora net vitæ Lachesis, net tempora regni:
Ambiguas rerum netque secatque viceis.
Crediderant fasceis Superi, prædantur eosdem,
Non dederant: meritò Dij retulere sua.

Maceriem pagi transis quicunque, timeto
Tale bonis fatum semper adesse tuis.
Mœnibus haud quicquam confide: potentia casu
Stat dubio. veris signa dedere fidem.
Signa vide: casus moueant exempla peracti:
Alia te fati crastina forte petet.
Officit ira Dei cunctis, non officit vni:
Nec simul, ast sensim detonat ira Dei.
Arridere sibi fatū quicunque tuetur,
Mane, quid, ignorat vespera ferre queat.
Dum videt in cœno miseros hærere; nec vlli
Subsidium: prompta debet adesse manu.
Tu memor esto rotæ, quam circulat impetus axe,
Quæ scapulis rēgum tracta, Sesostrin agit.
Vt rota se voluens apicem deturbat ad ima:
Sic vbi se tollit fastus, ad ima ruit.
Stare diu magnis fati liuore negatum:
Fit miser ex domino seruus; ab vrbe later.
Et satis hæc. Birsim, pago qui paupere manat
Inferius, sterili fundit arena solo.
Passibus hic supra Basileiæ mœnia centum
Quinque fluens, Rheni pergit inire labra.
Sed prius ad vicum, retinet qui nomina cursus, Lauffen.
Ad pia Tornaci voluitur arua prius.
Hic vbi defessum Rheno se miscuit, vndis,
Rauraca post dextram Birsidos ora fugit.

Hinc

Inde Neuenburgem bißex ad millia paßûm
Brisgoeas dextrum mittit obire latus.
Hac sua Brisacum sustollit mœnia parte:
Mœnia Brisaci flumine Rhenus obit.
Ardua Lunato clauduntur flumina ponte:
Vel rate, vel sicco vincitur unda pede.
Vt stadijs octo quatuor defluxit eundo
Culmina Burcani gurgite Rhenus obit.
Mille quater paßus tractu dum labitur æquo;
Diruta Limpurgi visere tecta parat.
Triginta stadijs, totidemque profunditur illinc
Rhenus, vt Eltisij flumine dedat aquis.
Trasus & vnito sociat dum flumine labra
Eltisius; dextra cedit vterq; manu.
Hic subit Eltsacum: procul alluit ille Friburgas.
Præcipiti volitans fertur vterque fuga.
Et quæ Sequanicis Elsatia partibus extat,
Obuiat; hanc læuo Rhenus ab orbe videt.
Et latus ad læuum Rhinouia linquitur vndis,
Eltisio paßus mille remota duo.
Imbibit à dextris, quod dat Schuttrenia, flumen
Rhenus: & audaci lancinat amne solum.
Quà gelidus dulci fertur Schuttera liquore,
Nemo Grauenstadium dicet abeße procul.
Hinc stadijs centum Rhinouia dißidet: inde
Gurgite Cinticus flumina laßus agit.

Imbi-

Imbibit à dextro Cinticum limite Rhenus.
Flumina Cintici rupibus orta cadunt.
Harcinias inter minimo non gurgite pollent
Naiades. Harcinio nascitur vnda specu.
Nobile curuato Sciltacum præterit amne:
Culmina Volpaciæ præterit, alta solo.
Arripit Hornburgi Vutam qui verberat arceis:
Ambit Hasulacum; tecta salutat aquis.
Vadit Ophenburgum; sequitur præclara Ceilli
Culmina; mox Rheno totus in amne perit.
Desinit esse sui; quo fluxerat antea, iuris:
Et placida Rheni mole subintrat opeis.
Ellus adest: Alsam reliqui dixisse feruntur:
Et latus ad læuum turbine mittit aquas.
Singoiæ fontem latebris educit amœna:
Ex rigua Vogesi valle fluenta capit.
Excipit optatis Elsatia finibus amnem
Vtraque; quin, Ello nomen ab amne tulit.
Ellus clara secat generosa iugera vitis:
Irriguo nemorum tesqua liquore secat.
Olrunca fl. iam vocatur vulgari nomine de Tolder. *Non procul Iltsacis Olruncam digerit: isto*
Masoniden constat fata bibisse vado.
Huc quia diuertit spatiatum Masone natus,
Percupijt tandem membra lauare freto.
Debuerat tellure frui; debebat eadem
Viuere: Neptuno maluit ille frui.

Deue-

Deueniens ripam posito lasciuit amictu:
Quippe rudis nandi stagna secare parat.
Stagna secat nando: ripa discedit arenis:
Alueoli medium liberioris init.
Obruitur cumulo fluuij: superatur aquarum
Bile puer: ripam fessus adire nequit.
Succubuit fundo: ter iam submersus obiuit.
Materia nequijt flebiliore mori.
Non hac Natura debet, non funera morbis:
Duriter infelix occidit amne puer.
Praeripit, infelix inopinae stamina mortis:
Mortis & immeritae stamina sponte secat.
Dulce, quod incepit moriendo viuere finit.
Quod puer incepit noscere, perdit idem.
Filiolum Maso terris quaerebat ademtum:
Filiolum frustra quaerit vbique parens.
Ter simulac lotus rediisset ab aequore Titan:
Et media medium luce teneret iter:
Fluminis excessit pelago tum Masone natus:
Euehitur ligni more: cadauer erat.
Vnda nimis fallax; vitam liuore tulisti:
Iam renuis molli ferre cadauer aqua.
Nec sceleris poena saeui terreris: eundem
Quem peremis, nullo fracta timore leuas.
Repperit ah natum genitor, non inuenit; vltra
Non genitor: magni caussa parentis obit.

Tol-

Tollit aqua prolem: lachrymis condita rigabat
Membra; sepulcrali funus adornat humo.
Claustra monasterij statuit praeclara sepulcro
Maso: suum claustris nomen inesse dedit.
Larga sub Elfurdis Ello miscetur: & ipsi
Vnda sub Horbitigo Murbacis arce coit.
Rubeaquũ. *Thurus ad Ensbemũ, leuiore nec Ombacus vnda*
Ad Rubeas Ello conciliantur aquas.
Phacidos hinc vndam Colmaria mancipat Ello.
Mœnia Sletstadij fluctifer Ellus adit.
Non procul hinc distat Nouientum: Iulius illic
Caesar in augusta sanxerat aede Deos.
Mœnia Benueldi decliuior alluit Ellus:
Auctior ad Rhenum ductile flectit iter.
Excipit ad lœuam sinuosi flumina Prusis.
Prusis ab occiduo defluit orbe satus.
Alluit, argento quae nomina mutuat, vrbem.
Hic posito Rhenus ponte ligatus abit.
Indè parum lœua Rhenus diuertit ab Arcto:
Vult Aquilonaris regna subire loci.
Rhenus it argenti fossa deductus in vrbem:
Compita vicatim praepete lambit aqua.
Argentina latus Rheni sortita sinistrum.
Argenteratum. *Vrbs solida gestat turre leuata polos.*
Hanc solidi longa patres aetate locarunt:
Artificum plures constituere fabri.

De-

Debuit hæc inter rerum miracula duci.
Clarior haud nostro surgit in orbe labor.
Omnia spectando mirari singula mente
Sat nequis. Hoc liuor cernere gestit opus.
Cedant Pyramides: Mausoli regia cedant
Busta: Colossæo cedat honore Rhodos.
Non, qui marmoreis insistunt cruribus horti,
Non Ephesus tanti, non Labyrinthus erit:
Vt decus excelsæ rimentur nobile turris:
Nec Babylon tanto parta labore stetit.
Clara Semiramio discedant mœnia fastu;
Quæ modo sunt colles; saxa vel æqua solo.
Inuidiosa fuit Tarpææ gloria rupis:
Præbuit Aegypto numinis illa fidem.
Candida spectetur tantæ si gloria turris,
Quid Capitolini fana Tonantis agent?
Ornamenta velit Mundo quis condere tanta,
Huius in exemplum turris vt ire queant?
Prusis & Ellus eunt: ad mœnia pergitur: vrbis
Per loca diuiduæ Prusis & Ellus eunt.
Hinc quinquaginta stadijs Scuttera fluentum
Quod remouet, Rheni labra subire dedit.
Nec cita descendunt ad amussim flumina semper;
Fluctibus obsistit longior ergo via.
Perpetuos curua qui fert ambage Meandros,
It duce qui fluuio luditur ergo comes.

Vrbs nemorum Tutela subit, vicina fluentis
Rhene tuis: dextrum gaudet adepta latus.
In Rheni dextram misit quoscunq; sinistra
Rauraces, hæc nitida continet vrbe sitos.
Ast reliquis, quorum superat farrago nepoteis,
Pars patriam Rheni læua reliquit humum.
Mille duo passus nemorum Tutela recedit
Hinc, vbi nunc Arolæ flumina Rhene capis.
Harciniam longo confinia limite syluam
Exhibet: his resinæ nomina lucus habet.
Ante Boemorum monteis admisit: ad vsq;
Sarmaticos egit sylua Polonos iter.
Quas alit, Harciniæ Picearia debuit alnos:
Harciniæ syluam debet Odonis ager.
Huc quoq; querceto Thuringia diuite cessit:
Huc quoq; Cattorum fagina cessit humus.
Intima Francorum tellus hac clauditur ora.
Tam potuit vasti sylua fuisse situs.
Ad Boream ferme montes adduntur Abnôbi
Harcinia: montes transiliisse vetor.
Ipse nec Arduennam concedo saltubus addi
Harciniis. syluam Rhenus vtranq; secat.
Accola syluarum parteis abscidit: in arua
Et segetum campos fecit abire nemus.
Eruta Romano patuit vel milite sylua:
Hospite vel proprio perdidit illa comas.

Albula

Albula dextrorsum Rheno coniungitur alba;
Pulcrior Harcinijs Albula pene vadis.
Mille decem paßus modo Vuoldeshuta recedat,
Arx subit: arx læuam fluminis alta colit.
Accolit vrbs arcem, Cataractæ motibus apta:
Ex fluuij cursu nomen adepta fuit.
Rauraces vrbe ferunt illic residere secunda.
Ponte tumescentes dißociantur aquæ.
Vrbs spatio maior Rheni sortita sinistram:
At minor ad dextram fluminis apta sedet.
Hîc remoratur aquas scopulo Cataracta minori:
Deflua præcipiti labitur vnda gradu.
Montibus astricto riparum limite Rhenus
Tollitur; ac tenui concitus ore ruit.
Vix spatij tantum Rheno Natura reliquit,
E manibus quantum poßit inire lapis.
Non ita decliui Cataractes vertice fertur,
Quam prior: est illo casibus ergo minor.
Non prior admittit claßes: hic carbasa resti
Sub iuga dimitti sæpius ima videt.
Cura quibus vitæ periјt, persæpe carinæ
Præcipites audent desiluiße vias.
Hoc paucis succedit iter. Reddenda Tonanti
Et ratio vitæ semper habenda venit.
Quod nobis præclusit iter Natura, malorum
Præcipiti nemo debet obire gradu.

Paßibus hinc octo descendunt flumina mille;
Flumina decliui latius acta scrobe:
Quum subit vndisono circundata gurgite tellus,
Insula Fridlini nomine clara senis.
Quod sua Germanus concesßit nomina Rheno,
Iam liquet: ex cursu nomina Rhenus habet.
Impete decurrit vehementi Tygridis instar:
Instar Pantagiæ flumina rupe sonant.
Tertia iam subeo, quæ Rauraces oppida seruant:
Virginea colitur nobilitate locus.
Rauraca Sequanico Sequingia nomine fertur:
Sequanis haud sacci nomine terra valet.
Suerstadium pagi quamuis damnetur honore,
Vrbs fuerat: dextra cedit abacta manu.
Accolit illustris læuam Rhinfeldia Rheni:
Rauraces hic quarta posßidet vrbe locus.
Hic medijs Rheni, scopulo constructa, procellis
Arx stetit: haud ista firmior arce domus.
Arx didicit quicquid vario Fortuna ministret
Turbine: dum superat, vincitur: amne ruit.
Insula Fridlini Campis est disßita Rheni:
Mille quidem paßus octo remota iacet.
Hic minimus agitur ratium Cataracta periclis:
Vncus & inferni dicitur esse locus.
Vtraq; discedat vasto quod limite ripa,
Incipit hinc fluuio latior esse via.

Sternitur

Sternitur expanso riparum margine Rhenus:
Nil ideo flumen quod remoretur, adest.
Ergo per euentum Rhinfeldia nomine fertur:
Aequore nam campi flumina Rhenus agit.
Excipit ad læuam resonantis brachia Farræ
Rhenus; & Ergetio plenior amne tumet.
Hîc Augusta iacet, Rheni sortita sinistram
Rauracis: ex domina visitur vrbe parum.
Quattuor Augustam Rhinfeldia paßibus abdit
Mille: sed addantur millia quinq; pedum.
Nil sub Sole manet: nam Sol mutatur & ipse:
Huius & in pagum transijt vrbis honor.
Pyramidum calcant veteres segmenta ruinæ:
Effoditur Latium sæpe numisma iugis.
In iuga vicorum descißcunt culmina: turres
Mœnibus, & sterili mœnia valle cubant.
Tecta nigris procerũ latitant salebrosa cauernis:
Fana iacent nullo restituenda die.
Vndiq; murorum spectantur rudera: foßis
Suppositis terra mira videre datur.
Et procul à pago visuntur fragmina muri:
Fragmina visuntur turris: at æqua solo.
Area sulcatur multorum vomere trita:
Area multorum vitibus arua tegit.
Vel loca maceries domuum lapidosa coercet:
Vel sterilis segni terra laborat ope.

Sic Babylon monſtrat glebis immiſta ruinam:
Sic magna Treuerim parte ruina tegit.
Ardea iam cinereis exuſcitat, ardua quondam.
Sunt Tyrus & Sidon nomina: reſtat ager.
Quid refero Theben, præſtantis mœnia Cadmi?
Mœnia vix Cadmi puluere ſignat humus,
Quid memini Troiam? Troianæ gloria ſortis
Interyt: Troiæ ſigna videre nequis.
Vrbs Burgundionum defecit Alexia Belgis.
Et Niniue quondam magna, peregit opus.
Turpibus infœlix veſtigia quæritat aruis,
Quæ Pelopis quōdam gemma Corinthus erat.
Sicut Athenarum muri quæruntur Athenis;
Quæritur Auguſta priſcus in vrbe nitor.
Diruta Samnites Samnitum mœnia quærunt:
Rauracus Auguſtæ culmina quærit ager.
Eruta confines ignorant culmina turbæ:
Culmina calcator rupibus æqua terit.
Rauraces amiſſo cepērunt nomine finem:
Nomen apud doctos Fama perire vetat.
Id doctos Fortuna ſinit præſtare, negatum
Quod rudibus. Faſti ſcripta manere ſolent.
Hæc Auguſta tibi venit iactura per Hunos:
Tam tibi, quam reliquis officit ira Dei.
Te ſeries multo ſtruxit ſudore parentum:
Te grauis ætatum ſollicitudo dedit.
Diuitias

Diuitias in te regum Fortuna locarat:
Omnia Barbarico sustulit hoste dies:
Omnia fatorum properanti diruta clade:
Quæ lux non dederat funditus vna rapit.
Sed præstare diem, quis, talia, crederet, vnum?
Intereunt magno parta labore citò
Sustulit Hunorum virtus, quod reddere nescit:
Si tamen est virtus sternere cuncta solo:
Insontem truncare, genus seruare nefandum,
Perpetuis Mundum depopulare malis.
Quod magis; excelso subijsti vertice cœlum,
Tangere quid cœlum profuit? ima tenes.
Vt rueres, ergo summum lucrata cacumen,
Altior vt casus tolleret æqua Deo?
Fata recesserunt abs te iucunda Deorum.
Quid tibi maiorum profuit ergò labor?
Ah nihil. Ah quoties lachrymabile pectora telum
Impetit, ipsa queri desine: cura nihil
Cura nihil reddit melius: tantisper amara
Permanet hæc, corpus donec & ossa ferat.
Lachryma fatalis non reddet stamina fusi,
Stamina fælici leniter acta colo.
Tempora net vitæ Lachesis, net tempora regni:
Ambiguas rerum netq́ue secatq́ue vices.
Crediderant fasces Superi, prædantur eosdem,
Non dederant: merito Dij retulere sua.

Maceriem pagi transis quicunque, timeto
Tale bonis fatum semper adesse tuis.
Mœnibus haud quicquam confide: potentia casu
Stat dubio. veris signa dedere fidem.
Signa vide: casus moueant exempla peracti:
Alia te fati crastina forte petet.
Officit ira Dei cunctis, non officit vni:
Nec simul, ast sensim detonat ira Dei.
Arridere sibi fatū quicunque tuetur,
Mane, quid, ignorat vespera ferre queat.
Dum videt in cœno miseros hærere; nec vlli
Subsidium: prompta debet adesse manu.
Tu memor esto rotæ, quam circulat impetus axe,
Quæ scapulis regum tracta, Sesostrin agit.
Vt rota se voluens apicem deturbat ad ima:
Sic vbi se tollit fastus, ad ima ruit.
Stare diu magnis fati liuore negatum:
Fit miser ex domino seruus; ab vrbe later.
Et satis hæc. Birsim, pago qui paupere manat
Inferius, sterili fundit arena solo.
Passibus hic supra Basileiæ mœnia centum
Quinque fluens, Rheni pergit inire labra.
Sed prius ad vicum, retinet qui nomina cursus, Lauffen.
Ad pia Tornaci voluitur arua prius.
Hic vbi defessum Rheno se miscuit, vndis,
Rauraca post dextram Birsidos ora fugit.

Hinc

Inde Neuenburgem bißex ad millia paßûm
Brisgoeas dextrum mittit obire latus.
Hac sua Brisacum sustollit mœnia parte:
Mœnia Brisaci flumine Rhenus obit.
Ardua Lunato clauduntur flumina ponte:
Vel rate, vel sicco vincitur unda pede.
Vt stadijs octo quatuor defluxit eundo
Culmina Burcani gurgite Rhenus obit.
Mille quater paßus tractu dum labitur æquo;
Diruta Limpurgi visere tecta parat.
Triginta stadijs, totidemque profunditur illinc
Rhenus, vt Eltisij flumine dedat aquis.
Træsus & vnito sociat dum flumine labra
Eltisius; dextra cedit vterq; manu.
Hic subit Eltsacum: procul alluit ille Friburgas.
Præcipiti volitans fertur vterque fuga.
Et quæ Sequanicis Elsatia partibus extat,
Obuiat; hanc lœuo Rhenus ab orbe videt.
Et latus ad lœuum Rhinouia linquitur vndis,
Eltisio paßus mille remota duo.
Imbibit à dextris, quod dat Schuttrenia, flumen
Rhenus: & audaci lancinat amne solum.
Quà gelidus dulci fertur Schuttera liquore,
Nemo Grauenstadium dicet abeße procul.
Hinc stadijs centum Rhinouia dißidet: inde
Gurgite Cinticus flumina laßus agit.

Imbi-

Imbibit à dextro Cinticum limite Rhenus.
Flumina Cintici rupibus orta cadunt.
Harcinias inter minimo non gurgite pollent
Naiades. Harcinio nascitur vnda specu.
Nobile curuato Sciltacum prateterit amne:
Culmina Volpaciæ prateterit, alta solo.
Arripit Hornburgi Vutam qui verberat arceis:
Ambit Hasulacum; tecta salutat aquis.
Vadit Ophenburgum; sequitur praclara Cellli
Culmina; mox Rheno totus in amne perit.
Desinit esse sui; quo fluxerat antea, iuris:
Et placida Rheni mole subintrat opeis.
Ellus adest: Alsam reliqui dixisse feruntur:
Et latus ad læuum turbine mittit aquas.
Singoiæ fontem latebris educit amœna:
Ex rigua Vogesi valle fluenta capit.
Excipit optatis Elsatia finibus amnem
Vtraque; quin, Ello nomen ab amne tulit.
Ellus clara secat generosa iugera vitis:
Irriguo nemorum tesqua liquore secat.
Olrunca fl. iam vocatur vulgari nomine de Tolder. *Non procul Iltsacis Olruncam digerit: isto*
Masoniden constat fata bibisse vado.
Huc quia diuertit spatiatum Masone natus,
Percupyt tandem membra lauare freto.
Debuerat tellure frui; debebat eadem
Viuere: Neptuno maluit ille frui.

Deue-

Deueniens ripam posito lasciuit amictu:
Quippe rudis nandi stagna secare parat.
Stagna secat nando: ripa discedit arenis:
Alueoli medium liberioris init.
Obruitur cumulo fluuij: superatur aquarum
Bile puer: ripam fessus adire nequit.
Succubuit fundo: ter iam submersus obiuit.
Materia nequijt flebiliore mori.
Non hæc Naturæ debet, non funera morbis:
Duriter infelix occidit amne puer.
Præripit, infelix inopinæ stamina mortis:
Mortis & immeritæ stamina sponte secat.
Dulce, quod incepit moriendo viuere finit.
Quod puer incepit noscere, perdit idem.
Filiolum Maso terris quærebat ademtum:
Filiolum frustra quærit vbique parens.
Ter simulac lotus redijsset ab æquore Titan:
Et media medium luce teneret iter:
Fluminis excessit pelago tum Masone natus:
Euehitur ligni more: cadauer erat.
Vnda nimis fallax; vitam liuore tulisti:
Iam tenuis molli ferre cadauer aqua.
Nec sceleris pœna saui terreris: eundem
Quem peremis, nullo fracta timore leuas.
Repperit ah natum genitor, non inuenit; vltrà
Non genitor: magni caussa parentis obit.

Tol-

Debuit hæc inter rerum miracula duci.
Clarior haud noſtro ſurgit in orbe labor.
Omnia ſpectando mirari ſingula mente
Sat nequis. Hoc liuor cernere geſtit opus.
Cedant Pyramides: Mauſoli regia cedant
Buſta: Coloſſæo cedat honore Rhodos.
Non, qui marmoreis inſiſtunt cruribus horti,
Non Epheſus tanti, non Labyrinthus erit:
Vt decus excelſæ rimentur nobile turris:
Nec Babylon tanto parta labore ſtetit.
Clara Semiramio diſcedant mœnia faſtu;
Quæ modo ſunt colles; ſaxa vel æqua ſolo.
Inuidioſa fuit Tarpææ gloria rupis:
Prębuit Aegypto numinis illa fidem.
Candida ſpectetur tantæ ſi gloria turris,
Quid Capitolini fana Tonantis agent?
Ornamenta velit Mundo quis condere tanta,
Huius in exemplum turris vt ire queant?
Pruſis & Ellus eunt: ad mœnia pergitur: vrbis
Per loca diuiduæ Pruſis & Ellus eunt.
Hinc quinquaginta ſtadijs Scuttera fluentum
Quod remouet, Rheni labra ſubire dedit.
Nec cita deſcendunt ad amuſſim flumina ſemper:
Fluctibus obſiſtit longior ergo via.
Perpetuos curua qui fert ambage Meandros,
It duce qui fluuio luditur ergo comes.

F *Tortilis*

Tortilis hamato remoratur cornua greßu
Circulat in spiras ductile Rhenus iter.
Semita fit terræ breuior;nam rectior exit:
Et via flexibilis longior exit aqua.
Vrbs iacet Argenti Basileia longius ergo,
Si duce quis Rheno ceperit ire viam.
Inde decem paßus descendunt flumina Rheni
Mille:videt Sornam Rhenus adeße sibi.
Excipit ad læuam resonantis cornua Sornæ.
Pulcer ab occiduo prouenit orbe latex.
Qui Latias adijt fluuio simul atq; Tabernas,
Ante Pharetrati fragmina montis abit.
Hochẽfeldt *Est locus;est ruri nomen sortitus ab alto:*
Hunc riguis pagum Sorna venustat aquis.
Brompel pagus. *Diruta Brocomagi descendit ad atria prisci:*
Propter Ophendorpi tecta subire parat.
Diuite miscetur Rheno:nec latius ire
Expetit:hîc feßus serpere Sorna perit.
Hinc quatuor Rhenus procedit millia paßûm,
Verberat ad dextrum flumine saxa latus:
Rennichus occurrit;qui nomine nominat vrbem
Rennichiam:Rheni flumen adauget aquis.
Vrbs procul à Rheno;Zephyri declinat ad oras;
Nomen Hagenoia rebus adepta fuit.
Paßibus à Rheno censetur dißita mille
Quattuor vrbs;paßûm millia iunge duo.

Qua

Quæ nimium Rheno quamuis seiuncta feratur,
Dulce suis Rheni flumen honorat aquis.
Ardua prouoluit resonantis flumina Malta,
Flumina puniceo longius acta pede.
Eminus aduerso Lichtenum margine pagus
Subtrahit à dextro fluminis ore larem.
Stolhoueum tractu Rhenus præcurrit amico:
Stolhoueum dextra Rhenus adesse videt.
Illud Rennichio passûm vix millibus octo
Amne iacet: spatium nauta docere potest.
Pagus Hochelshemi spatio discedit eodem:
Pagus Hochelshemi tecta ruentis amat.
Quinq; sed absoluens currendo millia passûm
Inde, fluentisonum Rhenus adornat iter:
Cum subigit læuo Benhemia margine ripam:
Thermiacas longè dextra relinquit aquas. Marggraues Baden.
Nempe quadraginta stadijs Badena recedit
Rheno; Marchionum nomine nomen habet.
Id licet ætati: corruptrix dicitur ætas;
Labitur; instabili nomina voce premit.
Harcineis dicenda venit Badena labruscis
Ipsa; quod Harcineo polleat ipsa specu.
Vt sexaginta palmis Benhemia mille
Cesserit, adiungas millia quinq; pedum:
Rhenus Saletium delibat, mœnia gentis:
Saletijs Rheni læua subitur aquis.

Infra Rastadium defertur flumine Murgus:
Rastadium dextra Rhenus abesse videt.
Et si non spatij deludat imagine; Rhenus
Saletio postquam grande peregit iter:
Sex simulac gressu superauit millia passûm,
Flumina Lutteri comminus ire videt.
Dum sua confini Lutterus nomina castro
Luterburgum. *Mancipat, hunc Rheni gurgite lœua tegit.*
Eruta Vesporum seclis iam nomina nescit
Rhenus: id ætatum crimine fata sinunt.
Claruit hospitio Vesporum dextera Rheni:
Relliquias horum Fama docere nequit.
Fama noui cultrix patitur transire vetusta:
Omnia dicendo dictitat ipsa nihil.
Comiter æquato procedit flumine Rhenus:
Mœnia Numburgi comiter alta ferit.
Suspicit excursu Mulburgi culmina dextro;
Culmina Mulburgi longius amne sita.
Rhintzabern. *Rhenanas alia spectat regione Tabernas*
Rhenus: adhuc restat signa videre loci.
Berchtzabern. *Vlterius Fortuna dedit restare Tabernas,*
Solis ad occasum, nomina montis habent.
Obuiat aduerso Screcanum limite Rheni:
Dextera Screcanum fluminis ora quatit.
Hac etiam Rheni surgit Linchemia parte:
Cuius in exili mœnia colle sedent.

Ger-

Germarshema latus Rheni sortita sinistrum
Parua: tamen gestit dote superba loci.
Hinc, vbi Lutterus præscripsit nomina castro,
Hæc stadijs centum penè remota iacet.
Hinc latus ad dextrum subit Vdenhemia, Rhenus
Quattuor vt passûm millia carpsit iter.
Dum subit hinc passus ter mille potentia Rheni,
Pagus adest: facili pauper honore locus.
Ipse domo Rheni nomen censetur habere:
Et latus ad dextrum culmina præbet aquis.
Mille duo passus simulac descendit eundo
Rhenus, et audaci carbasa fronte vehit;
Altius ad lœuam Nemeti stant fluminis ora:
Imperium iuris Speira rigore tenet.
Aeris & exactrix; & auara curia litis;
Cæsarea nomen Speira cohortis habet.
Speira pyri nomen multis traxisse videtur:
Proxima Guidoni stabat ab æde pyrus.
Quam simulac fluctu Rhenus cedente relinquit,
Se Leporis riuum gestit inire vadis.
Mutat iter Rhenus: Borea deflectit iniquo:
Parrhasias fluctu tentat obire plagas.
Mille duo passus simulac progressus obiuit;
Et solito curuum more peregit iter.
Cratia Rhenani dextram mox fluminis intrat:
Cratia Cragoeis nomine signat humum.

Hinc quindena pedum decurrit millia, puri
Lutteris ad læuam brachia Rhenus habet.
Lutteris ebullit Lutterna Cæsaris vrbe:
Culmina Neustadij fluctibus alta ferit.
Labitur ad pagum, qui nomine dicitur alta
Ripa: suis Rheno conciliatur aquis.
Penè quadraginta stadijs prædator aquarum
Rhenus ab Alripa ductile fecit iter.
Nobilis adducit Manhemia Neccharin: Istri
Neccharis ad gelidum nascitur vnda caput.
Harcinio flumen saltu procedit utrunque:
Ister Necchareo grandius amne tumet.
Fonte Nicrufurdum propter gignente fluenta
Ditia Rotuillæ Neccharis arua secat.
Neccharis aduentu Cymbrorum mœnia gaudent:
Mœnia Cymbrorum vertice montis agunt.
Hoc equidem Cymbri tractu restare videntur,
Sextia quos Mariò cedere vidit aqua.
Antea Danorum tribuit gens nomina regno:
Cymbrica nam regio nomine dicta fuit.
Sed patria Cymbri quoniam cessêre relicta,
Cymbrica Danorum nomine terra perit.
Omnia mutantur; tellus mutatur, & ipse
Incola: mutantur nomine regna suo.
Cum non indigenas valuisset Cymbrica genteis
Pascere, transfugium gentibus acre dedit.

Expulit

Expulit ingrato fatorum sydere multos;
Culmina quos alio quærere iußit agro.
Hinc patrijs multi ceßère penatibus acti:
Extera nam patrio cultior orbe plaga.
Nunc aliud diuersa dedit Natura priori:
Dania Parrhasio ditior axe locus.
Iam non illa sibi tellus est patria tantùm;
Omnibus eße potest patria penè viris.
Nunc Italos cœlo pascit florente salaceis:
Nunc eadem Gallis satq; superq; fauet.
Sufficit Hispanis: Anglorum sufficit orbi:
Obuia Germanis redditur; æqua Gethis.
Sic quæ non proprijs suffecit ciuibus olim,
Diuite iam didicit pascere cuncta solo.
Rem mutant vmbræ Cymbri: liquère paterna
Mœnia; nec patria contigit vmbra plaga.
Relliquias propter Nicrum fundare coacti:
Dum cupiunt votis plura; tulere nihil.
Restat adhuc nomen: gentis defecit origo:
Cymber & Europæ rarus in orbe manet.
Neccharis amißa Cymbrorum voluitur arce
Latius: illustri dißecat arua pede.
Flumine Verstanum Nicro pulsatur, & Horbis:
Arua Rotumburgi Nicrus amœna rigat.
Non procul hinc acido distat Nideraula fonte
Nobilis; est medico nobilis amne locus.

Cum sonitu terris prodit, feruore procellam
Riuus agit: morbi iura restringit aquis.
Vndis sulphur inest: Chalcantum diffluit vndis:
Nec modica ferri parte fluenta rigent.
Dum facileis Ameræ properat lacerare procellas
Mœnia Tubingi Necchari alta subit.
Linquitur Artanum, senij quod tempora præbet:
Arx ibi venatrix extitit apta feris.
Hinc Stugardis adest: Eslingia visitur illinc:
Vnda Nicri sedeis inter vtrasq; meat.
Inde LEG. ANT. STATio petitur venerāda fluētis:
Vrbs modò Cantstadij nomine dicta venit.
Necchari accursu Nagelti digerit vndas:
Ensea Nagelti fluctibus vnda coit.
Quà duo miscentur resonanti flumina Nicro,
Basicanum fluctus inter vtrosq; sedet.
Inde salus fontem (si non fallamur, Alisō
Fertur, et Halprunum) Necchari amne subit.
Falluntur dicunt fontem quicunq; salutis:
Magna licet fonti causa salutis adest.
Postea famoso Corcerus gurgite fertur:
Necchari tergum gestit inire vadi.
Necchari ad ripam Cornelia possidet ædeis:
Fœmina quam grauiter nomine torsa vocat.
Fertur Iaxta procul pelago cumulatus aquarum:
Et varios ripa lambit vtraque lareis.

Præci

Præcipitem dextra subiens absumit laxtam
Necchariis:absumpto grandior amne tumet.
Quinetiam magni sylua donatur Othonis
Amnibus:ad dextrum sylua stat atra latus.
Heidelberga venit Diuo miranda Platoni.
Fallor an? vrbs sacri nomina montis habet.
Montis adhuc sacri tumulum restare vetustas
Historiæ fastis inuidiosa dedit.
Est specus aduersa quoniam sciunctus ab vrbe:
Altius horrendo deprimit antra situ.
Vel speleia Caci simulat, vel Phocidos antra:
E gelida vindex rupe Mephytis abit.
Horrifico rupes spinæ densantur amictu,
Quò nequeat vallem Solis inire iubar.
Mercurij sacris dederant speleia Druidæ;
Quem statuunt, forma non referente, deum.
Pectore laudabant, oculo non indice numen:
Relligio specui numen inesse fuit.
Mercurij signum Didius struxisse videtur:
Et paries templi signa videre facit.
Ad Zephyrum spectat paries; adparet in æde:
Numina sanctorum vindicat ædis honor.
Denique montano consurgit vertice templum:
Denique mons sacri nomina montis habet.
Mercurio signum basis sanxinit honore,
Hoc Didius postquam castra locaret agro.

Sic eodem in loco habetur:
MERCVRIO BASEM CVM SIGNO IVLIAN. DIDIVS EVOCATORVM DVX.V.S. LL.M.

Antoninus enim simulac delere Morauos
Romulea secum constituiβet ope;
Est acies multo Phœbi defecta calore:
Marcida siccato legerat ore sitim.
Est aliquid perferre sitim; perferre laborem
Est graue: nil grauius suspicor eβe siti.
Nonne iuuentutum nobis prærepta fuerunt
Tempora? nonne breuis sustulit haustus aquæ?
Fabula vulgari decepit secula voce
Nobilis: haud celebri fabula luce caret.
Iuppiter astrorum dominus, tot munera vulgi
Cepit, odorato thura liquore petens.
Sanguine taurorum placatus, sanguine gaudet:
Vilius ingrato duxerat eβe nihil.
Pro meritis cultor vellet quæcunque Tonantem
Posceret: impensis vinceret ista precum.
Incipiunt cuncti votis vrgere iuuentam,
Vltima quam nullo læderet vrna die.
Iuppiter annumerat, qui fallere nescius, illud
Muneris æthereà victor ab arce dedit.
Muneris in promptu nec erat gestator: at ille
Mox Asinum prompto iuβit adeβe gradu.
Ille gradu venit tardo: portare iuuentam
Vector ad humanum debuit ipse genus.
Debuit indocto Silenum ducere tergo:
Dignior indocto voluere ligna genu.

Ille

Ille iuuentutem dorso gestabat anili:
Munus & impositum duxit ab axe poli.
Ille Planetarum sphæras descendit Olympo:
Barbara falcigeri deuenit astra senis.
Astra Iouis subijt;sub eo cathaphracta Gradiui
Regna subit:tandem Sole perustus abit.
Ecce sitim Phœbi radijs collegit anhelam:
Barbarus in media concipit arce sitim.
Haustum quærit aquæ:quærat;nō inuenit haustū:
Ad Veneris tandem regna peregit iter.
In Veneris feruore sitim sedare nequiuit:
Quolibet interdum fortior igne Venus.
Mercurij cœlum,Lunæ montosa subiuit
Cornua:non potuit siccior ire siti.
Ille iuuentutem Diris deuouit:habenda
Semper inops illi iure senecta foret.
Lassus & infœlix elementum contigit ignis:
Sæuior accepto ferbuit igne dolor.
Aera perlustrat triplicem:non sustulit aer
Quod nocet:aerio nascitur orbe sitis.
Intrat aquas:salsugo sitim sedare nequiuit:
Nempe sitis salso crescit adusta mari.
Ad Libyæ terras Phœbi feruore solutas
Progreditur:Libye torquet adusta sitim.
Tandem Palladij venit Tritonis ad amnem:
Flectit ad optati basia fontis iter.

Ora

Ora vadis admouit, aquam libare paratus.
Qui vetuit tangi flumen, Enhydris erat.
Exanimis viso flumen serpente refugit:
Atque pedem viso territus hoste refert.
Anguis ait: noli flumen turbare, iubemus:
Nec pede, nec potu bestia flumen adi.
Relligio magni fluuium Tritonis adire:
Me sibi custodem deputat vnda Dei.
Ora sitis torquet nimium, respondet Asellus:
Per sacra, per Superos oro; sit haustus aquæ.
Qua potero tecum gratus virtute paciscar:
Immemor officij, crede, nec huius ero.
Dona iuuentutis vafro spectantur Enhydri.
Verba dabat serpens, si dare verba potest.
Huius nulla tibi dabitur iam copia fontis:
Aut mihi, quæ gestas munera, sponte dabis,
Non alia mecum poteris ratione pacisci:
Vel bibe, vel fugias; dona sed ista volo.
Grande sitis telum dorso semouit Aselli
Depositum: Serpens dulce lucratur onus.
Callidus extemplo sitienti porrigit vndas:
Apposito victor munere lætus abit.
Sic Asinus nostri iactura corporis emit
Pocula. Quam caro sustulit amne sitim?
Illud Mercurio debebas credere donum
Iuppiter; haud nostrum falleret ille genus.

Cur Asino credis? rectum curare grauatur.
Exige tu munus Iuppiter ergo tuum.
Sed canimus surdo: factum consistit: Aselli
Crimine mortales cogimur esse senes.
Praeripuit fato serpens mirante iuuentam,
Quam merito diuus iure teneret homo.
Tergore serpentes mutato tempora reddunt
Prima sibi: turpis pelle senecta cadit.
Munere nec fœlix Asinino gestiat Anguis:
Ex Asini sicco sustulit ore sitim.
Acre sitis telum nemo contemnat: eodem
Tunc acies morbo victa petebat aquas.
Venderet aetatem potu, si vendere posset
Miles: egestatem ferre grauatur homo.
Huc grauis accedit, qui destruit omnia, morbus:
Morbus & humano saeuior hoste fuit.
Morbida diuersae populabant agmina pestes:
Ambigua pugnant morsq; sitisq; manu.
Peius an euentu belli quid suspicer esse?
Militibus votum fata subisse placet.
Frigida non tanto Quadorum cardine virtus:
Nescia Romanis parcere turba furit.
Nomina Quadorum Germanis pessima signant: Quadus
Qui malus est, idem nomine Quadus erit. Quaedt.
Turba Morauorum saltu prognata Boëmo:
Ingenio saxum visa referre graui;

Suscipit

Suscipit indicto Quados & fœdere iungit:
Rem peragit morbus: rem peragitque sitis.
Barbaries nullo morbi languore coacta,
In Latios properat bella mouere duceis.
Non acies hostem valuit Romana fugare,
Immodico pestis debilitata malo:
Quid facient? melius patriam repetisse fuisset:
Degenerem renuit morbus inire fugam.
Huc sitis accedit morbo non mitior, ægros:
Miles ad interitum pronior esse nequit.
Ergo mori certum: virtus languore fugata.
Ergo mori certum: Quadus obesse parat.
Ne populis bellum noceat differre paratis,
Accelerant Quadi præcipitare moras.
Tum legio Christi fuerat signata lauacro;
Non Latios inter quippe maligna duceis.
Sensit egestatem; Quados vrgere notabat;
Tam prece, quàm belli prædita laude cohors.
Hæc precis impensa pluuiam lucratur ab axe;
Vnde refrigerium miles habere queat,
Aëre defecit meliori languida mortis
Effigies: cœlo vita fauente redit.
Integra mox acies animo statuebat in hostem
Classica: fert Aquilam miles: ad arma ruunt.
Christicolæ solita Superos pietate fatigant:
Dum gladios stringunt, arma fuere preces.

Ima

Ima Tonans cœlo Mundi deuexa tuetur,
Hinc, vbi candorem semita lactis alit.
Militat è cœli latebris: pro Cæsare pugnat:
Non sterileis iusti mittit abire preceis.
Ignea descendunt vltori fulgura cœlo:
Per latus effracta fulmina nubis eunt.
Horrida luctantes veniunt ad classica venti:
Arduus horrifico dimicat imbre polus.
Cœlica Romanis faciunt à partibus arma:
Vindice Christicolas protegit axe Deus.
Omnia cœlorum famulantur brachia iustis:
Omnia coniurant vindice fata manu.
Sylua Boëmorum tonitru desæuit anhelo:
Horrida Sudetes cessit ad arma poli.
Indocilis flecti cepit Gabreta pauere
Sylua: nemus Lunæ sternit acredo metus.
Ad caput euerso remouetur territus amne
Albis, ab vndeno nomina fonte trahens.
Pinifer accepto sternit mons fulmine syluam:
Nescia terreri fulgure sylua tremit.
Quattuor emittit mons flumina Pinifer: idem
Quattuor abscondi flumina monte videt.
Non Oriens Egram solito, non excipit Albis
Gurgite: sub scopulis Egra sed agra latet.
Terra condit aquas, Albi cessurus & Arcto,
Albis & Arcturi limite Sala fugit.

Insoli-

Insolito Mogum casu miratur abesse
Rhenus,& occiduo terra sub orbe latens.
Austrum Nabis adit: Nabis descíscit ab Austro;
Nec socijs Istri regna subintrat aquis.
Flumina Piniferi latuere stupentia montis:
Territa vix quarto redditur vnda die.
Hoc potuit fato rerum Natura timere:
Est fragor,est misero tantus in orbe furor.
In rigidos cælo pugnam fundente Morauos,
Sub pede pugnantum mugijt ira soli.
Tela licet Quadi neruis excussa fugarent,
Nil poterant homini tela nocere pio.
Vertit in authorem gladios;ac reppulit arma,
Reppulit in Quados spicula nube Deus.
Quid facerent miseri? Superos superare negatum,
Aethereis victi succubuere minis.
Quadus & accepto mitescit vulnere:Quadus
Antea qui fuerat,cogitur esse bonus.
Nulla Morauorum virtus:cessere Moraui:
Romuleis acti terga dedere viris.
Vix fuga protexit raros,caduntur ad vnum.
Disce,quid efficiat vindicis ira Dei.
Disce preceis longè pugilum præstare lacertis:
Irrita non redeunt indice vota polo.
Sic opera miles superat Romanus Olympi;
Robore qui fracto maluit ante mori.

Christi-

Christicolis palmam multi tribuêre cateruis;
Pugna quod ipsorum cesserit acta prece.
Inde Κεραυνόϐολος *pugilum bonitate vocatur,*
Ducere quod legio fulmina nube queat.
Sed cum gente Dei multis non conuenit aquè:
Cognita nec Christi pluribus ara fuit.
Christigenas illi mordent liuore cohorteis:
Mercurium palmæ signa dedisse volunt.
Extitit Aegypto prognatus diuite quidam
Miles;& Arnulphi nomine clarus erat.
Nec patria dignus tali,nec nomine:morum
Degeneri sortem fallit vtranque nota.
Signa secutus erat Magico venerandus honore:
Cuncta sciens,Christi scire recusat opem.
Nouerat is,fulgur pauidi quid denotet axis:
Funditus euerti fulgure dignus erat.
Fata Comœtarum norât præsaga futuri:
Ipse Comœtarum dignus obire malo.
Instabileis cœlo didicit mirante planetas:
Ex pecudum didicit scire futura fibris.
Ex auium crebro statuens portenta volatu,
Ingenio vatem decipiente refert.
Et Magico fati seriem turpabat abusu.
Rebus adulator miscet iniqua sacris.
Ille refutando Christi damnabat honoreis:
Arcadico dixit numen inesse Deo.

Dixerat: at testor bello nil vincere Christum:
Omnia Mercurium vincere testis ero.
Mercurium noui: supplex altare frequento
Illius; ad laudem victima sæpe cadit.
Hunc precibus moui; simulac vrgere Morauos,
Et pluuia vidi deficiente sitim.
Hic igitur guttas volucri deduxit Olympo:
Hic medica pestem fecit abire manu.
Non ope sum Christi nixus: nec sentio Christum:
Militis haud pluuio sustulit imbre sitim.
Mercurio grateis igitur redduntο: litate
Castra. Quid ingrato turpius esse rear?
Sic loquitur: Christi caussas explodit Iesu:
Nec Magus effictο creditur ore loqui.
Verba fides sequitur, populo superesse fideli
Nil fidei; Christo nil superesse boni.
Pestifer errori Mundus subscripsit: in atrum
Mundus & errorem pronior ire solet.
Vt Didius palmam belli cessisse putaret
Mercurio, tandem gratificatus ait:
Ne ferar ingratus belli pro munere victor;
Prosper vt euentus postea Martis eat:
Hanc tibi Fortunam Cyllenia debeo proles,
Quod bene successit pugna; quod hostis abit:
Nobilis æterno fatorum nomine Roma,
Iam spatio terras claudat; honore polum.

Iam referat grateis, ceu par, æterna rependat
Munera Diuorum nuncio Roma tibi.
Ipse quod exemplum meritis præscribo, quod ipse
Sum prior, haud Didij respice vota tui.
Ad fluuium simulac delatus abiuero Nicri,
Propter aquas Nicri fana daturus ero.
Sic Didius: Nicrum subijt promissa resoluens
Debita, quò voti desinat esse reus.
Vtilius vouisse nihil, quàm fallere vota:
Si voueas quicquam vota resolue Deo.
Non Superos ridere decet: ridere nec ipsi,
Fallere nec possunt seria: fallat homo.
Fallat homo: dudum rigidi suspensa Tonantis
Vindice fallenteis obruet ira manu.
Hac igitur Didius nimium ratione mouetur:
Vouit: quinetiam reddere vota parat.
Vota tamen nostræ fuerant inuisa saluti:
Nec Didius nostræ vota salutis agit.
Terga subit montis sterili vicina cauernæ:
Mercurij sacris fana locare stetit.
Hanc tibi constituo, qui sydera con[illegible],
Qui Iouis & superûm nuncia dicis, ait.
Te quia Germanus vultu non exprimit vllo,
Ergo tibi vultus signa rependo tui.
Nomina non templi, templum non eximet ætas:
Inde loco sacri nomina montis erunt.

Dixerat: atteſtor bello nil vincere Chriſtum:
Omnia Mercurium vincere teſtis ero.
Mercurium noui: ſupplex altare frequento
Illius; ad laudem victima ſæpe cadit.
Hunc precibus moui; ſimulac vrgere Morauos,
Et pluuia vidi deficiente ſitim.
Hic igitur guttas volucri deduxit Olympo:
Hic medica peſtem fecit abire manu.
Non ope ſum Chriſti nixus: nec ſentio Chriſtum:
Militis haud pluuio ſuſtulit imbre ſitim.
Mercurio grateis igitur reddunto: litate
Caſtra. Quid ingrato turpius eſſe rear?
Sic loquitur: Chriſti cauſſas explodit Ieſu:
Nec Magus efficto creditur ore loqui.
Verba fides ſequitur, populo ſupereſſe fideli
Nil fidei; Chriſto nil ſupereſſe boni.
Peſtifer errori Mundus ſubſcripſit: in atrum
Mundus & errorem pronior ire ſolet.
Vt Didius palmam belli ceſſiſſe putaret
Mercurio, tandem gratificatus ait:
Ne ferar ingratus belli pro munere victor;
Proſper vt euentus poſtea Martis eat:
Hanc tibi Fortunam Cyllenia debeo proles,
Quod bene ſucceſſit pugna; quod hoſtis obit:
Nobilis æterno fatorum nomine Roma,
Iam ſpatio terras claudat; honore polum.

Iam

Iam referat grateis, ceu par, æterna rependas
Munera Diuorum nuncio Roma tibi.
Ipse quod exemplum meritis præscribo, quod ipse
Sum prior, haud Didij respice vota tui.
Ad fluuium simulac delatus abiuero Nicri,
Propter aquas Nicri fana daturus ero.
Sic Didius: Nicrum subijt promissa resoluens
Debita, quò voti desinat esse reus.
Vtilius vouisse nihil, quàm fallere vota:
Si voueas quicquam vota resolue Deo.
Non Superos ridere decet: ridere nec ipsi,
Fallere nec possunt seria: fallat homo.
Fallat homo: dudum rigidi suspensa Tonantis
Vindice fallenteis obruet ira manu.
Hac igitur Didius nimium ratione mouetur:
Vouit: quinetiam reddere vota parat.
Vota tamen nostræ fuerant inuisa saluti:
Nec Didius nostræ vota salutis agit.
Terga subit montis sterili vicina cauerna:
Mercurij sacris fana locare stetit.
Hanc tibi constituo, qui sydera con[illegible],
Qui Iouis & superûm nuncia dicis, ait.
Te quia Germanus vultu non exprimit vllo,
Ergo tibi vultus signa rependo tui.
Nomina non templi, templum non eximet ætas:
Inde loco sacri nomina montis erunt.

Ne qua Druîdarum pietas mutetur; eandem
More Druidârum continuare iuuat.
Mente colunt Diuos: ſidi mandata Druîdæ
Iſta ferunt: Hermes mente colendus erit.
Quod ſtatui fanum, cupio ſancire Druîdas:
Mercurij debet ſigna referre locus.
Sic ait: hinc ſacri deduxit nomina montis
Heidelberga, loci commoditate fauens.
Hac ſtadijs Speira centum diſtare videtur.
Sed me nunc aliud ſcribere cardo iubet.
Sufficiat Rheni ſpatium ſolum inire:
Non alijs certam trado matheſin aquis.
Arduus vt grauido prouoluitur agmine Nicrus,
Ante Vladumburgi tecta ruentis abit.
Necchari ad metam laſsato voluitur amne:
Has igitur Rheni dextra capeſsit aquas.
Necchari extremo Manhemia limite dextram
Poſsidet: oppidulum poſsidet illa vetus.

Epilogus libri Secundi *Nunc iterare iuuat ſpatium, quod obiuimus antè,*
Nunc breuis exiſtam: longior antè fui.
A fluuijs Arolæ reuocemur ad oſtia Nicri,
Quid ſpatij fluctus inter vtrunq; feram.
Iunge quater centum ſtadijs millena viator:
Addito viginti quinq;: ſed adde tria.
Hac igitur Rheni menſura Matheſios arte
Ambiguam neſcit conciliare fidem.

Finis libri Secundi.

LIBER

LIBER RHENI TERTIVS A CONFLVENTE RHENI ET NECCHARIS, vbi & Manhemia est Oppidum, vsq; ad Mosellæ & Rheni confluentiam deductus.

ARGVMENTVM IN LIBRVM RHENI Tertium à Manhemia siue Necchari, vsq; ad Confluentiam inferiorem: vbi Mosella in Rhenum sese exonerat.

RHenus à sinistris eminus ogershemum habet & Roxhemum, preterea Lenum fluuium: & nonnihil remotam ripa Vormatiam.

Inter Manhemiam et Vormatiã centum stadia sunt. Inde monasterium Laurissenum, è diuerso Vormatiæ habet: à dextris habet Erspacam fl. Vuinshemo proximũ; Inde oppidum aliquid remo-

 tum

tum Stænas; Gerushemum & Stochſtadium. Rhenus mox arcum facit, ex Septentrione in ortum, ex ortu in Boream et Arctum, inde in Zephyrum flectitur.

A ſiniſtris Vppenhemiam habet: vbi Ruffi & Vindicis adiecta in carmine hiſtoria.

Inter Vormatiam & Vppenhemiam centum et viginti ſunt ſtadia. Rhenus in Arcturum vertitur.

Inter Vppenhemiam & Mogũtiam, quę Rheno ad lœuam coniungitur, centum ſunt ſtadia.

Rhenus è regione vrbis Moguntinæ præclarum excipit flumen Franconiæ Mœnũ: qui ex monte naſcitur Pinifero.

Rhenus in latitudine iuxta Moguntiam protenditur ad duo ſtadia. A dextris Beuericum habet, inque occidentem labitur: aliquot inſulas facit. Præte rit Schirſtænas, Vualfenum, Helfeltum, Erbacum, Oeſtrichium. plures hinc occurrunt inſulæ. Rhenus verò Mitilenũ & Vincolium pagos adit contiguos. Inde Rhingouiæ tractum à dextris; à ſiniſtris

ſtris Nabin capit fluuium, à dextris Geiſenhemiam & Rodeshemiam, à ſiniſtris oppidum Bingiam alluit; ibiq́ue Naida capit fluuium.

Inter Moguntiam & Bingiam ſunt centum ſtadia & duodecim.

Rhenus in Corum labitur: à ſiniſtris montem Roberti habet, inde circumfluit Turrim murium morte famoſiſsimam Hattonis: à dextris alluit Erueldũ arcem. Bingiacum ſpecum à ſiniſtris, Haſmanshuſiam à dextris. Vasbergam à ſiniſtris; et eadem parte Legionem Traianam.

Inter Bingiã & legionem Traianam ſunt quinque millia paſſuum.

Rhenus continuo curſu Hembacum lœua, Corichium dextra, Dembacum lœua, Corichuſiam dextra, Bacchracũ oppidum cum arce ad lœuam alluit.

Inter legionem Traianã & Bacchracum ſunt quatuor mille paſſus. Inſulas ibi facit Rhenus, quarum poſterior arcẽ habet Paltz dictã. à dextris Rhenus Coueanum, in monte arcem, in radice pa-

gum habet. Alia ſtatim occurrit arx ad ſiniſtram, ſub qua altior apparet Veſalia. Rhenus ſe plurimũ ibi flectit: ex Coro in Zephyrũ; ex Zephyro in Auſtrũ gyratur: montem habet ad dextram, altiſsimum Luerley, qui reſonans eſt admodum. Rhenus in Corum iterum vertitur. à dextris arcem Cattzenelenbogẽ habet; & eadem parte Geuershuſiam.

Inter Bacchracum & Geuershuſiam oppidum ſunt octo mille paſſus.

Rhenus oppidum D. Goari à ſiniſtris habet: ibiq́ue creditur Rhenus per crebras Charybdes aquæ multum amittere. A ſiniſtris poſtea arcem Rhinfeltz, quaſi Rheni rupem habet. Longius ad dextram Dorenburgum, Velmichium oppidum proximius habet: ad lœuam Hirtznoueam & Paltzichiũ: ad dextram ſupra Bornhoueam, duas arces; Campes pagum ad lœuam: eadem parte Bodobrigam.

Inter Goari oppidũ & Bodobrigam nouem ſunt millia paſſuum.

Rhenus adit pagum à dextris Oeſterſpey:

ſpey:à ſiniſtris Vueſterſpey. Brubacchiam arcem & pagum à dextris: Rhenis pagum à ſiniſtris &Regale quoque ſolum. Ober Laenſtein à dextris oppidum, arcē Lanecum, pagum Neder Laenſtein. Lanum flumen ibi à dextris excipit.

A Bodobriga vſque Laenſtænas ſex millia paſſuum.

Rhenus pagum & arcem Capellam à ſiniſtris alluit, hæc in monte, ille, in plano exiſtit. Rhenus Nouarum facit inſulam: Cleri pagum à dextris alluit. Inde Confluētia Rheni & Moſellæ ad lœuā.

Inter Laenſtænas & confluentiam inferiorem ſunt quinque mille paſſus. Inter Manhemiam & confluentiam inferiorem ſunt ſeptingenta ſtadia, & viginti octo: quæ faciunt viginti duo miliaria Germanorum communia: redundant ſtadia viginti quatuor.

Sphæra libro metam statuit detrita secundo:
Tertius in scenam prodeat ergo liber.
Quid nimium cessare iuuat? narrare penateis
Et citius Rheni terga cupido fuit.
Instimulat multos ad rem Natura venire;
Sed studij finem quærit adire sui.
Proderit vndisonum quid sternere classibus æquor?
In pelago quorsum multa videre facit:
Ardua quid prosunt decumani verbera fluctus:
Ardua quid prodest vincere monstra maris:
Vtilis occurrat si non post omnia portus:
Si reduceis nunquam terra videre queat?
Nonne mihi contingit idem? cantare fluenta
Destino: sed vehemens officit vsque mora.
Vsque labor terret: demens augmento laborem.
An ratio tanti sana laboris erit?
Spero: nec inuisis contemptum partibus iri
Me reor: inuisum condo nec author opus.
Oppida cur Rheni tantum, cur flumina Rheno
Quæ pereunt tantum Musa referre vetat?
Rem stolidus semper iuxta versabor eandem?
Semper & in Rheni limite fixus agam?
In mea si tantum venisset carmina Rhenus,
Omnia iandudum carmine dicta forent.
Nostra tot vrgetur spiris insania rerum:
Et dum multa libet dicere, pauca iuuant.

Esto:

Isto: sed inuadet lectoris nausea mentem:
Scrupulus in Rheni nomine multus erit.
Saepe viatorum recta deflectit amussi
Orbita: sic alibi cernere plura datur.
Quid faciet Rhenus, si non delectet amantem?
Non eadem semper scripta placere solent.
Quae vario sensum variat scriptura lepore,
Dulcius attenta praebet in aure melos.
Historias ergo Rheni coniungo fluentis:
Historiam lymphis inseruisse iuuat.
Res si ferre potest, mutatur semita crebro;
Sicut in ambageis nauita sponte feror.
Digredior persaepe scopo, persaepe reuertor:
Qua digressus eo parte, reuersus eo.
Hinc est, quod nimium cesso, qui dicere multa
Destino, qui necdum dicere pauca queo.
Delectare volo, nec non prodesse: voluntas
Cuncta putat votis esse minora suis.
O vtinam votis dexter succedat Apollo.
Arduus indoctum tradere docta labor.
In medio nunquid cursu suspendo laborem?
In media nunquid parte fatigat onus?
Ipse quod incepi satagam finire: nec obstat
Carmine quod tenui plurima ferre paro.
Terror eat; iungam praeceps exempla fluento
Hospita, dum volucer turbine Rhenus abit.

Vrgeo

Vrgeo si saxum, si non sub pondere vincor,
Dum studijs Erato gaudet adesse meis;
Materiam tardi cur non explodo timoris?
Materiam stulti constat abisse metus.
Hæc reputans mecum video cessisse pauorem;
Hinc solito solitum more paremus iter.
Rhenus Ogersheimum læua suspectat abesse:
Nam stadijs ripa sexque tribusq; fugit.
Paupera Roxheimum propius fert culmina Rheno:
Fluminis ad læuam culmina stare liquet.
Lenus vt obtutu Lampseni mœnia liquit,
Sceptriferis Rheni gaudet adesse labris
Postea Lorsensis spectantur culmina claustri:
Culmina Lauresst nomine dextra gerit,
Limite Vangioneis Vormatia continet amplo,
Vangioneis Rheni læua venustat aquis.
Vrbs licet extremo fluuij non margine surgat,
Haud tamen à Rheno longius ergo sedet.
Hanc Borbecocuagum sunt qui dixisse feruntur;
Arguit hoc ratio nominis, atque loci.
Hæc stadijs Nicro centum distare videtur.
Iste Palatino claret honore locus.
Hic Lateranorum comites fixere trophæa,
Mœnia fixerunt principe digna viro.
Erspaca Vuinhemo simulac effluxit ab vrbe,
Suscipit hunc dextra Rhenus, & ire docet.
Proti-

Protinus occurrunt Stanarum mœnia Rheno,
Mœnia Stanarum nomine clara suo.
Cærula Herushenum prælibat dextera Rheni:
Vilia Stochstadij fluctibus arua quatit.
Versus ab Arcturo deflectit paupere cursum
Rhenus: in Aeoi climata Solis abit.
Versus ab Aeoo Borea curuatur in oras:
Hinc fugit in Zephyrum ductilis vnda tubæ.
Rhenus ab occasu quod si concurrat in Austros,
Orbifluis circum terra iacebit aquis.
Sed quia non redeunt in sese flumina gyro,
Isthmiaco Rhenus calle diremptus abit.
Ad pia Virginij spatiatur mœnia Ruffi
Rhenus: & ad læuum sustinet illa latus.
Hæc licet vrbs, veluti reor, Vppenhemia fertur,
Est tamen ex Ruffi nomine clara ducis.
Vindice qui domito patriam repetiuit ab hoste;
Non sibi, sed patriæ prælia laude tulit.
Iulius at Vindex inhiat dum fascibus, arma
Dum mouet, à Ruffo vincitur: hostis obit.
Ille quidem fœlix, regni quicunque recusat
Pondera; qui iuris maluit esse sui.
Qui venit ad fasceis, curarum mergitur æstu:
Non secus, ac grauido fœmina ventre, timet.
Imperium quanto regis sudore geratur,
Horrida Damoclis prodere fama valet.

Præ-

Præfuerat Siculæ quondam Dionysius vrbi:
Clarus & ingenio, clarus & arte fuit.
Pieridum doteis studio cognouit Athenis:
Discipulus magni quippe Platonis erat.
Officium docti prauo fœdauit abusu:
Doctus erat: verùm mente Tyrannus erat.
Ad tempus Fortuna viri blandita triumphis:
Attribuit fastum prosperitatis honor.
Damoclis assentatio. *Hunc vbi Damocles caneret persæpe beatum,*
Damoclen dominus vidit inepta loqui.
Rex scurram docuit fortunas noscere regum,
Quot regimen curas nocte dieq́ue ferat.
Fecit inauratis hominem residere cathedris:
Adposuit mensam: cuncta placere dedit.
Impositum capiti tribuit diadema superbo:
Haud famulum paruo iussit honore frui.
Præposuit scurræ quicquid testatur honoreis
Imperij: tandem sceptra tenere dabat.
Agmina seruorum famulantur plurima mensæ:
Iussa facessebant regis honesta sui.
Quod facit ad regum luxus, ad ditia sceptri
Nomina Damocles noscere visus erat.
Sit vallata quibus persæpe potentia curis
Hoc etiam signis scurra videre tulit.
Liberat ancipitem corio Dionysius ensem:
Subnectit capuli pondera parte trabis.

Pers

Pertenui fecit gladium pendere capillo:
Damoclenq́; supra ferreus hæsit apex.
Extimet elapso Phlegyas vt marmora lethum,
Sic gladio lethum scurra cadente timet.
Non oculos visu pascit, non viscera ferclis:
Est alius vitæ damna timere cibus.
Non animaduertit famulantis munia turbæ:
Horrida sollicitis suspicit arma genis.
Præ curis animi fastidit gaudia mensæ:
Omne sub auerso nauseat ore decus.
Gloria blanditur: votis obsistit imago
Mortis: in horrorem cedere cuncta videt.
Esuries vrget. Quem non vrgeret egestas?
Esuries tanto cedit abacta metu.
Damocles gladij casum, non fercula regis
Aspicit: erecto pallor in ore sedet.
Doctior exemplo cognouit gaudia regum:
Gaudia cognouit principe digna viro.
Destituit mensam soluto contentus honore:
A pedibus regi maluit esse suo.
Fœlicem minimè Damocles postea regem
Censuit: id stricto doctus ab ense sapit.
Rex, fateor, Siculo fuerat Dionysius orbi:
Non ideo regni iure beatus erat.
Edidit exemplum mutantis singula fati:
Edidit exemplum turbinis ipse sui.

Squalli-

Squallidus exuitur Siculo Dionysius orbe:
Imperij compos desijt esse miser.
Quem dederat virtus regno priuauit inepta
Luxuries:non rex imperat ipse sibi.
Ad studij matrem pauper concessit Athenas:
Pauper Athenea postulat vrbis opem.
Vrbe redit vacuus,quâm liquerat antea diues:
Ambigua vastam mente Corinthon adit.
Illic Argolicæ sumsit retinacula pubis:
Gymnasij fecit frena subesse sibi.
Qui iuueneis quondam nequijt frenare Sicanos:
Se pueris Graia præstat in vrbe ducem.
Qui proprio legem nequijt fundare popello,
Incipit externis dicere iura viris.
Qui regale fuit solitus pensare tributum,
Pro studij curis vile Minerual habet.
Quique Syracusis alto regnabat honore,
Conueniens illi nempe Lyceũ erat.
Porticus incolitur regi pro lupibus,aula.
Imperij quantum degenerauit honos?
Quid deceat regem monuit persæpe Corinthi:
Eius,quod monuit,nescius ipse fuit.
Iam scit,quid deceat regem quod nescijt ante.
Sæpe valet regem sola docere fames.
Sustinet infœlix virgam pro fascibus v'na:
Heu ferulæ cedunt sceptra;tribunal hara.

Qui vario cultus fastu gestabat amictum,
Immodicæ vestem simplicitatis init.
Sic nimij pœnam repetit Fortuna fauoris:
More nouercarum rebus obesse solet.
Ceu timet vrbs, quando minitanti cingitur hoste:
Sic quoq; rex hominum pondere fata timet.
Hæc quia non vindex cognouit Iulius, ergo
Dignus vt exemplo discat id ipse suo.
Esurit affectans regnum: vi Gallica turbat
Oppida: ius regni perdidit ergo miser.
Vendicat imperium Vindex, non vindicat: ergo
Vindex imperij desijt esse sui.
At toties Cæsar vasto delectus honore,
Non obito Ruffus sceptra Nerone tulit.
Plus victor nescire cupit, quam perdere victus:
Imperium spernit, nomen habere cupit.
Esse caput mundi renuit, sentina dolorum:
Hac etiam Ruffus sorte beatus erat.
Caussa stat: hærentem Damoclis viderat ensem:
Viderat imperij toxica: vidit onus.
Bellica Romano fundauit milite castra:
Quæ Ruffenhemi nomen habere reor.
Vox Ruffenhemi velut Vppenhemia fertur:
Sic eadem Ruffi nomen adepta fuit.
Si Ruffenhemum vocitetur mansio Ruffi,
Nemo loqui Famam vera negare potest.

Dißita viginti ſtadijs, & dißita centum
Vangionum Ruffi caſtra videntur agris.
Rhenus in Arcturum ſinuato labitur arcu:
Culmina Nacomi ſpectat ab amne ſita.
Vt ſtadijs centum diſceßit manſio Ruffi,
Arduus in Rheni flumina Mogus abit.
Quale Menus nomen referat, dicatur: amœnus
Perdat principium; cætera Mœnus erunt.
Ille latus Rheni dextrum feruore ſubintrat:
Ille ſuis Rheni flumen adauget aquis.
Dicitur oblongo Moganus nomine: fertur
Mogus: adhuc Mœni nomen habere poteſt.
Μ 40. *Voce Menos nota fertur ſcrutare Matheſin:*
ε 5.
ν 50. *Hic literis anni ſcit numerare dies.*
ο 70. *Hoc etiam Neili poterit præſtare figura.*
ς 200. *Vix alia tantum voce fluenta valent.*
365. *Scinditur irriguo Franconia gurgite Mogi:*
Ν 50. *Terra nec exemplo ditior eſſe poteſt.*
ε 5.
ι 10. *Quæ prius Harcinio nimium ſtetit obruta ſaltu,*
λ 30. *Sternitur in campos: denſa nec arbor obeſt.*
ο 70. *Extrema ſyluas Franco tellure remouit:*
ς 200. *Inſtar enim muri ſylua coronat agros.*
365. *Circuit excelſo Vicearia robore terras*
Sylua: nec Harcinij partibus illa deeſt.
Quercubus inde ſubit Thuringia limite ſurgens.
Syluagrauem ſyluis reddit Othonis humum.

Mons

Mons vbi cœlorum ſuſpectat Pinifer orbeis,
Sylua Boemorum rupe leuata venit.
Pinifer effundit gemino mons gurgite Mogum: Deſcriptio Megani fluminis.
Hinc ruber, inde nitens nomine Mogus abit.
Gephreſium cedit nitido, Perneca rubenti:
In Zephyros Euro Mogus vterq; cadit.
Qui nitet, effertur dextra decliuis ab Arcto:
Qui rubet, ad læuam deſerit arua Nothi.
Stænaco nitidus ſimulac exceſſit ab vrbe,
Quæ fuit antè duplex fontibus vnda coit.
Mogus vbi coijt, Rotingia vapulat vndis:
Cronachis hinc triplici prouenit amne liquor.
Cronachis adiectæ nomen dat fluminis, vrbi:
Cronachis Ebnitiæ præterit vrbis agrum.
Cronachis incurrit Mogum. Fert limite Mogus
Hinc iuga Lichuelſi, Panſidos inde iuga.
Inde Stafelſtænus adijt; curuatur in Auſtrum;
Limite nec recto diſſecat arua Nothi.
Circuitu terras vario fœcundat aquarum:
Nec minus excepto ditior amne tumet.
Mœnia Gusbaci lambit, dum voluitur orbe:
Itſcia nec Mago diſtulit ire comes.
Itſcia Crampinij labris adiuta Rotannim
Accipit; ac Carolæ flumina fauce bibit.
Accola Campinij Coburgum fluminis extat:
Sed Rotacum rubei labra Rotannis alunt.

Paunacis in Mogum descensu labitur vnda:
Paunacis haud vllo tardior amne fugit.
Culmina Morspurgi Pegnesidos alluit vnda
Fons:quoq; Pegnesa nomen ab vrbe capit.
Visitur Hirspurgum, Lauffennia visitur amne:
Amnis ad accursum Norica — berga sedet.
Nec mora Rednesus Pegneside voluitur vnda:
Pascua Rednesius flumine pulcra rigans.
Saxea Stanarum simulac ad mœnia fluxit,
Ostia Piberij diuite potat aqua.
Limpidus inde subit Pegnesida Sennius vndam:
Auracus hinc tenui pulcrior amne subit.
Suabacus vndarum simulac tot voluitur ausis,
Cornua Pegnesi fertur in vda comes.
Qua modo Visenti Forchemia præsidet vndis,
Flumina Visenti terminat hausta Meno.
Aetscia longinquo deuoluitur agmine praceps;
Per nemus & vallem;plana per arua volat.
Accolit Aetscini Vintsemia fluminis oram:
Aetscia Neustadij fluctibus arua colit.
Gurgite Mundaci bibit o festinat ad arceis
Hochstadij;finem mox habiturus aquæ.
Obuiat aduecto Pegnesus flumine:plura
Postulat; Aetscini postulat amnis opem.
Postulat Aetscini quam gurgitis,obtinet vndam.
Nil etenim magnis parua negare queunt.

Flumina

Flumina vicinis excurrunt vndiq; syluis:
Vndiq; Pegneso flumina præbet ager.
Siccine perpetuo Pegnesus honore placebit?
Compos & officij desinet esse semel.
Arua Pabenbergis simulac vicina reliquit,
Desinit: hunc domito digerit amne Menos.
Curuus in occasum glomeratur turbine Mogus:
Vrbis ad Heltmanæ culmina versus abit.
Vrbs à traiectu Cattorum nomina fortè
Mutuat: Hasphurdum dicitur ergo locus.
Mogus it Hasphurdum: Menoburgi deserit arceis:
Nomina dat castro, scilicet, ista Menos.
Sueuorum traiectus adest; Sueinphurda vocatur;
Quos procul à Sueui Rhætia cepit aquis.
Sueuus adhuc restat: nomen mutauit: eodem
Antea quo fluxit Sueuus, in orbe fluit.
Plurima mutârunt excursu flumina callem:
Ast solito Sueuus calle fluenta vehit.
Nascitur extremo Sudetis margine: fertur
Inuia Parrhasij pronus ad arua poli.
Fertilis aruorum Lusatia scinditur illi:
Scinditur eiusdem Marchia penè vadis.
In Zephyrum cedens Boreæ miscetur Hauelo
Sueuus, vbi Sponda tecta rigârat aquis.
Illius ad ripam degerunt antea Sueui,
Iam quibus ex Sueui flumine nomen inest.

Qui patria nondum simulac tellure ruissent;
Vandalicis postquam tecta stet ere plagis;
Sueuia centenos implêrat milite pagos:
Tam locuples Sueuæ turba cohortis erat.
Gens patriam versa mutauit imagine cœli:
Horrida Rhætorum montibus arua colit.
Nomen adhuc priscum, mutari nescia, seruat;
Vt patria nunquam fama perire queat.
Quinetiam priscæ retinet virtutis honorem:
Corpore natiuum transfuga robur alit.
Est aliquid, patres si sint exempla nepotum,
Haud sobolem neruis degenerare patrum.
Sueuica respondet virtus ex indole nata,
Patribus: haud patriæ desinet esse memor.
Sueuica mutauit cœlum, non pectora virtus:
Liquerat Arcturum fertur ad arua Nothi.
Nempe fuit monti quondam subiecta Boëmo;
At nunc Italicis subditur illa iugis.
Accola tunc Sueui fuerat, nunc accola Rheni:
Transfuga sit patriæ, degener esse nequit.
Præcelebris retrò simulac Sueinphurda recessit,
Insolita Mogus bile recuruat iter.
Impete curuatus rapto descijcit in Austrum:
In Zephyrum versis inde recurrit aquis.
Herbipolim ripa fugiens discindit vtranq;:
In Boreæ tractus inde coactus abit.

Hinc

Hinc Carolostadij fœcundat iugera: Salæ
Cornua Gæmundi sedibus apta bibit.
Sala nec exiguo prouoluitur agmine: Salam
Iugera Neustadij Strauus ad vda subit.
Aspacum iuxta Rhœnis sorbetur: Auerræ
Ad iuga Lutteri flumine Sala ruit.
Non procul hinc Thule nemoroso condita saltu,
Quà Zephyrus Solem spectat inire freta.
Sala bibit Synam, Mogo iam proximus amni:
Mœnia Rinecij gurgite Syna quatit.
Non secus ac multi perierunt antea fluctus,
Vltimus in Mogi flumine Sala perit.
Solis in occasum curuo iam limite Mogus
Labitur; ac vario cornua torque facit.
Ast Zephyro dextræ iuxta confine relicto,
Deserit ad læuam fertilis arua Nothi.
Nomen ab excelsi quæ duxit vertice montis
Mogus Hogumbergæ tecta nitentis adit.
Excipit ad læuam Thuberæ flumina largi.
Surgere Thuberam Sueuia fonte videt.
Amne Rotumburgis, Chrechlingia visitur amne:
Hoc etiam pollens amne Rotinga venit.
At prope Mergetum Gallacidos influit vndæ
Copia Thuberæ flumen: at itur eò.
Nam Thubera subit Laudanæ mœnia gentis;
Culmina Pudingi fluctibus inde rigat.

Indefatigatis fertur Thubera procellis:
Cogitur ex Mogo cedere: Mogus adest.
Flumina Thubera Vartenum cedere Mogo
Aspicit: hîc fluuio nomen & vnda cadit.
Ardua Milt burgi veneratur culmina Mogus:
Ductilis in faciem vertitur vnda tubæ.
Inter & hinc Zephyros, et climata voluitur Arcti,
Sub lare Stechstadij flumina Mogus agit.
Excipit alueolo Francphurdia diuite Mogum.
Vrbs sua venali distrahit ære bona.
Accipit à Rheno classeis, à flumine Mogi:
Ponte sub oblongo clauditur vnda Meni.
Mœnia Franconum sustentat dextera Mogi:
Culmina Saxonum margine læua gerit.
Nobilis illustri Francphurdia vertice passûm
Millia viginti distat ab vrbe Meni.
Vrbs à traiectu Franconum nomina cepit;
Quos modo præ veteri Gallia gente colit.
Perdidit aduentu Franconum Gallia nomen:
Francia Gallorum dicitur esse locus.
Id tibi nec mirum. quid non mutatur in orbe?
Et situs & regni nomen, & ordo perit.
Sancta nihil mundo validum Natura reliquit:
Plurima mutantur tempore: pauca manent.
Optima Franconum libeat si dicere tecta,
Dicere quis poterit singula? nemo potest.

Huius

Huius & eſſe loci vix talia ſcribere duco.
Et quid multa libet ſcribere? rara iuuant.
Franconum ſimulac abijt Moganus ab vrbe,
In Zephyros curuo pergit abire gradu.
Ardua deglutit ſubeuntis flumina Binſæ.
Rhenus adeſt; Mogi flumen adeſſe videt.
Qui modo tantus aqua, tot aquarum molibus egit
Mogus iter, Rheni geſtit inire labra.
Ad medium Rheni labens procedit ad vrbem:
Nomen adhæc vrbi donat ineſſe ſuum.
Nobilis aduerſo Moguntia flumine Mogi
Gaudet, aquis Rheni gaudet; amica ſitu.
Vrbs abit ad læuam Rheni: ſed flumine Mogus
Cymbifero dextrum gæſtit inire latus.
Lucius infauſto deriſor nomine Chriſti Iulianus apoſtata.
Inſolito Rheni ponte ligauit aquas.
Poſtea mirando ſuperauit flumina ponte
Carolus: hunc celeri ſuſtulit igne furor.
Hîc nimium lato diffunditur æquore Rhenus:
Nam ſtadijs tendit penè duobus iter.
Sed nihil eſt vrbi, Rhenus quod baſia confet;
Quod Menos oppoſito mœnia rore videt:
Multa vetuſtatum profert exempla decoro
Vrbs habitu: priſci ſigna decoris habet.
Magnificam celſa geſtat tellure columnam:
Hanc celebris miro forma labore refert.

Formam noſſe paras? Imitatur teſſera formam:
Teſſera quadrato continet orbe cubum.
Percupis authorem, mirator, noſcere molis?
Hac opera Druſi colle leuata fuit.
Signa reducuntur tumulis diuerſa Deorum:
Et tabulas paſsim foſſa reportat humus.
Fama recognoſcit lapidum compage reuerſos
Sarcophagos, quorum ſcripta videre licet.
Quiſquis & Albani rimatur viſcera montis,
Sub lapidum foſſis mira latere videt:
Hîc ſteterant quondam Martis delubra Gradiui:
Hîc etiam vani templa ſtetêre Iouis.
Tot ſimulacrorum facies tellure reuelli
Credimus, vt totidem credere nemo queat.
Stulta quid enarrans nugarum rudera miror?
Vrbs alia rerum laude notanda venit.
Præ reliquis vrbem Phœbi germana venuſtat:
Præ reliquis vrbem Muſa tuetur agris.
Vrbs operam Muſæ ſi non perdocta tuliſſet;
Et niſi cepiſſet Dædala Pallas opem:
Barbaries fracto Muſam damnaſſet honore:
Barbarica Pallas clade repulſa foret.
Vrbs veneranda ſui tribuit monumenta laboris,
Aere, quod inuenta fuſerit arte typos.
Ante typos nimiũ veterum periere libelli;
Iam literas cernet nulla perire dies.

Vox

Vox perit auditus gemina quam concipit aure:
Vox etiam calamo scripta perire valet.
Quod typus excepit charta, non eximet ætas:
Si ruat exemp'ar tempore, restat opus.
Non rapitur totum, si pars vanescat adempta:
Pars etiam toti dempta nocere nequit.
Turba Camœnarum fœlix gratare labori
Et studijs: semper viue, reducta typis.
Viuit Mercurius iuuenili redditus æuo:
Ex postliminio mortis Appollo redit.
Ardua Parnaßi tumulos Moguntia præbet:
Fert Academia tecta: Lyceion habet.
Eloquar eximium. Germania præstitit orbi,
Quod Nothus, ac Aquilo, vesper & ortus amet.
Ah nihil ex æquo fœlix: & lilia spina
Et tribuli vitijs sæpe roseta tegunt.
Nobilis illustri Germania claruit arte,
Qua iuuat, hac etiam nobilis arte nocet.
Hac ratione typos reperit, ratione Boardas
Flāminomas, quarū strage barathra tremūt.
O nimis infœlix & amœna turpior arte
Ars fuit hæc; omni sæuior hoste fuit.
Ah nihil obliquo sanctum spectatur in orbe:
Ars vitio nunquam digna coire nocet.
Ingeniosa tui genitrix habeare pericli
Teutonis haud regio parcere docta tibi.

Mate-

Materiam Mundo tribuis Natura nocendi;
Quæ facis humanum singula noße genus.
Stulta tibi;nobis etiam væsana fuisti:
Debueras genitrix eße;nouerca noces.
Cur homini prodis vano secreta labore?
Quæ si nos fugerent,tutior eßet homo.
Quod ruditas orbi nequeat secura nocere,
Perfacili monstrat simplicitate fides.
Cur ad perniciem debemus singula noße?
Singula debemus noscere:pauca iuuant.
Aurea successu Saturni floruit ætas;
Floruit illa domi,floruit illa foris.
Ferrea mutarunt Saturni secula mores:
Impia perdoctum repperit arma genus.
Artibus auxerunt pedetentim munera belli:
Stulta quidem virtus scire profana fuit.
Non modo sufficit gladius,non pugio Marti
Rustica Bellonæ desijt eße sparus.
Lancea paulatim vulgi desciuit ab vsu:
Arcus & officij nomina vilis obit.
Vinea non muros,plutei non machina sternit:
Oppida non Aries efficit æqua solo.
Scilicet incertus Bombardam repperit author:
Impius ex casu repperit author opus.
Hæc referunt formam viridis tormenta colubri:
Sed coluber tantum nullus obeße valet.

Dira

Dira sono iactant nomen tormenta Boarda:
Dum resonat truculens acre Boarda tonat.
Horreat ad nomen, si quis non viderit arma:
Horreat ad formam, quisquis ad arma venit.
Horreat auditu reboantis fulmina monstri,
Qui procul à iactu fulminis arce latet.
Mars Tragico tandem luctu lamenta profunde,
Millia qui peditum fulmine multa rapis.
Te quoniam maiora Deo tormenta relucent:
Molis ad insultum sterneris ipse metu.
Axibus insistit facili non pondere binis
Machina, quò citius prouolet acta rotis.
Est teres, angusto paulatim strictior ore:
Parte sed extrema crassius antra patent.
Pectora nitrato subigit dum puluere flamma,
Pectore detentos expuit ore globos.
Mox tonitrum fingens, tonitru deterret Olympũ:
Efficit ac lapidem fulminis ire modo.
Vinea non obstat, cespes non vimine clausa:
Mœnia coguntur cedere, quassa globis.
Anguipedes scissent hæc si tormenta Gygantes,
Sydera deuicto tolleret Ossa Ioue.
In Phrygiam tali victor decurrat Atrides
Mole, decem cinereis Troia diebus aget.
Illa Semiramiam caperet Babylona, priusquam
Strictior exacto Delia mense foret.

Aurea

Aurea regalis ſuperabit mœnia Romæ,
Vel prius ac medij tempora menſis eant.
Id truculens iſti fecit Natura licere,
Quod Superum nulli fata licere ſinunt.
Hoc tibi debemus Natura, quod officis arte:
Debuit hoc certè non licuiſſe tibi.
Et male prædatrix audis Germania toto
Orbe, quod inuenta degener arte noces.
Ipſa tibi virgam, multos læſura paraſti.
Hoſtis nempe tua doctior arte furit.
Sat validos aſſueta tibi balliſta molareis
Mittere: ſat ſcandi mœnia ponte foret.
Deſtituit nullo frameam Germanus honore:
Saxeus & iaculum mittere Saxo negat.
Et Diomedæa Thraces virtute ſuperbi
Verbera Romphea laudibus orba putant.
Natio Boiorum domitrix nunc abſtinet Iſſis.
Ex Macedôn obijt laude Saryſſa procul.
Illyriæ gentes renuunt pugnare Sibinis:
Quod magis, & Romam ſtringere pila pudet.
Inclita virtutum ceſſerunt longius arma:
Puſio Bombardis trudit ad ima virum.
Arma procul victrix remouet Bombarda: cruenti
Orbis ad interitum præualet vna ſatis.
Non erit armatus, peraget non prælia victor
Hac niſi munitus prælia mole gerat.

Ah

Ah pereat, nobis hæc qui tormenta reliquit:
Arte pater fuerat dignus obire sua.
Penderet Aeolidæ pœnam Salmoneos instar:
Fulmina qui reperit fulmine stratus obit.
Corpore sanxiuit proprio Busiridis aram,
Qui docuit pluuiam Thrasius axe peti.
Sanguine Pygmaleon maculauerat hospitis ædem:
Sanguine Pygmaleon interit ipse suo.
Quæ prius humana saturârant viscera cæde,
Iam Diomedæo bruta cruore rubent.
Iam, scopulo multos qui deturbârat in æquor,
Mittitur in pelagum Theseos arte, latro.
Icarus vt plebem docuißet munera Bacchi,
Munere succubuit proditus ipse suo.
Quem prius Aemylio conceßit Aruntius, illum
Ipse sua genitor morte probauit equum.
Qui bene nil egit Phalaris laudatur in vno,
Quod necis authorem torruit arte necis.
Permanet inuentor Bombardæ; permanet author:
Nomen at authoris prodere Fama negat.
Censuit indignum vulgatrix nomine Fama,
Cuius ab ingenio crimen & ira venit.
Ingenij teter quid non designat abusus?
Si malus ingenio nititur, ipse nocet.
Stultu imperium, furioso præstitit arma,
Ingenium prauo quisquis ineße dedit.

Cum

Cum nequeant Musæ rugas sedare malorum,
Ingenium magni caußa furoris erit.
Heu nocuit Mundo, quisquis tormenta parauit
Aenea; qui simulat fulmen, & arma Dei.
Qui plus ingenio nocuit, quam profuit orbi:
Et qui subsidium contulit omne malis.
Bombardam conferre typis vrgemur: vtrique
Ingenium mentis, candor vtrique fuit.
Teutona virtuti Bombardis officit ora:
Teutona virtuti profuit ora typis.
Flumine cum Mogo Mogi descendit ab vrbe
Rhenus: & illustri proruit amne rateis.
Fluminis ostentat Beuericum dextera Rheni:
Pronus ab Arcturi limite Rhenus abit.
In Zephyrum greßu labens curuatur adunco:
Et scopulos inter grande coarctat iter.
Insula sepitur non fluctibus vnica tantum:
Diuiduis paßim terra ligatur aquis.
Præterit ad dextram Schirstanas, culmina pagi,
Culmina Vualfeni gurgite Rhenus adit.
Præterit Helpheltum, celebri quod præualet arce:
Totus ad Erbaci culmina voluit aquas.
Pagus ab Aeoo qui nomina diuite sumit,
Contiguis Rheni gestit adesse labris.
Grandibus hic iterum non vnica clauditur vndis
Insula: si Tempe dixero, vera loquar.

Vapu-

Vapulat hinc vndis Mitilenum;vapulat inde
Vincolium:spatio distat vtrunq; breui.
Vini diues adest dextram Rhingouia Rheni
Possidet:illustris possidet arua soli.
Quò feror? ad Rheni lœuam me confero:Rheni
Quò cadat in lœuam gurgite Nabis adest.
Vilia Morsenæ fœcundat culmina pagi
Nabis; & Alzhemi culmina rectus adit.
Inde duplex viridi subit Ingelshemia tractu:
Distant per minimo pagus & aula situ.
Aula sed inferior iacet Ingelshemica pago:
Vix stadijs Rheno cedit abacta decem.
Carolus æterno Fastorum nomine clarus,
Nec quem perdomuit Carolus orbe minor:
Hîc solitus licitæ fuerat statione morari:
Aptior haud animo Cæsaris aula fuit.
Aula loco nomen seruat turrita:gerendis
Consilijs sedem resq; locusq; dabant.
Arx fuerat quondam valido munita labore;
Funditus hostili decidit hausta rogo.
Maceriem quouis superat calcante viator:
Ipsa ruinarum penè ruina iacet.
Vt tunc res fuerat, simulac & Carolus aulam
Incoleret, nullo iura vetante tulit.
Paruit edicto Cæsar, quod sanxerat ipse:
Cæsaris exemplo paruit orbis honor.

Taßilio poſtquam ductor peccata patraret,
Coniugis hortatu noluit æqua ſequi.
Cæſareo tandem furians inuidit honori:
Auctus & Hunorum fœdere bella mouet.
Induperatori præceps extrema minatur
Fata:nec euentum criminis ipſe notat.
Carolus exurgit,ſcelerato reſtitit hoſti
Cæſar,apud Lechum caſtra locare parat.
Deſtinat aduerſo Legatum Carolus hoſti:
Continet is pacem,continet arma manu.
Taßilio mentem properat mutare;paratus
Obſidibus regem conciliare datis.
Bella cadunt:verum pax non firmatur vtrinq;.
Taßilio pœnam iure daturus erat.
Ingelsheimiados vocitatur ad atria cellæ:
Paruit edicto Cæſaris; egit iter.
Res in iudicium ſimulac prodiret vtrinq;,
Taßilio cauſſæ iura probare nequit.
Victus iudicio procerum damnatur:& enſe
Carnificum ſtricto iuſſus obire necem.
Ille genu flectens,panno claudebat ocellos:
Qui gladio ſoluat guttura,lictor adeſt.
Dux ſpatium vitæ nequijt ſperare:parata
Ad miſeri lethum cuncta fuere viri.
Iudicis vrgetur ſententia; Cæſaris obſtat
Gratia.Quem nequeat flectere pœna ducis?

Iudicis

Iudicis effectum vox non sortitur: at illa
Cæsaris arbitrio tollitur; illa cadit.
Mitior excedit sententia Cæsaris ore:
Mortem Taßilio Cæsaris ore fugit.
Pœnam perfidiæ claustro, non funere soluit:
Principis exuitur nomine: claustra subit.
Perfidus infando fuerat qui crimine princeps
Antea, iam Monachi nomine sanctus agit.
Cæsaris edicto qui noluit infimus eße,
Aßecla nolebat Cæsaris eße sui.
Dum maiestatis designat crimina læsæ,
Perdere carnificis debuit ense gulam.
Ista magistratus signant exempla vigorem.
Nonne magistratus fertur imago Dei?
Qui renuit regi; renuit parere Tonanti:
Præsidet hic cœlo, præsidet ille solo.
Nabis adit Rhenum; Rheno sorbetur eodem.
Hinc obiter Rheni tecta referre iuuat.
Cærulei dextram Geishemia fluminis ornat:
Inde Rodeshemi tecta subire vides.
Ast latus ad læuum spectatur Bingia; centum
Et stadijs bisex vrbe remota Meni.
Nais ibi fertur, ripa donatus vtraq;
Arcibus: innocuo perforat amne solum.
Exiguum paruo delibat honore Nouellum:
Hobstadium paruo spectat abeße loco.

Vilia præcurrit Brambacum culmina pagi:
Vilia Fromburgi fluctibus arua videt.
Ambit Oberſtanas modico ſignata nitore
Iugera: Gumburgi cernere caſtra datur.
Quæ dat Hæmundum, quæ dat Montcingia, tergũ
Quæ dedit Hunorum flumina Nais habet.
Nais vt illuſtri Soburnum flumine vidit,
Labitur; & Glani cornua iungit aquis.
Obuia Lutteri prædatur cornua Glanus:
Naiada Lutterus, Naiada Glanus init.
Nais Iſumbergam minimo ſuſpectat abeſſe
Limite: Dalbergam longius eſſe videt.
Diſsidet oblongum Sponhemia Naiados amne:
Non Eberumburgi tecta rigantur aquis.
Naidos oblongo diſcedunt limite Nymphis:
Arce tamen cerni Naidos vnda poteſt.
Hinc Stauronneſum fœcundat amabile Nais:
Teutona Cruiſnaum nomine lingua vocat.
Poſt iuga Cruiſnai ſimulac eſt ardua ventum,
Spumeus in Rheni viſcera Nais abit.
Bingia præclari veneratur Naidos amnem:
Dulciſonis Rheni gaudet adeſſe vadis.
Bingia præclaro celebratur nomine Druſi.
Fonte quid & Druſi notius eſſe rear?
Druſus ibi letho quoniam funeſta ſubiuit:
Materiam lethi nemo docere valet.

Nec

Nec ſtat Fama ſibi:bello vel concidit hoſtis,
Vel lacero cecidit crure,peremptus equo.
Hunc referunt tractu monſtrum vidiſſe Sicambro:
Inſolita cuius mole ſtatura ſtetit.
Forma Gigantæi faciem mentita Cyclopis:
Fœminei ſexum viſa referre gregis.
Hoc miſer ex monſtro venientis tempora lethi
Edidicit. Magnus fata videre timor.
Bingiacas victor ſimulac acceſſit arenas,
Bingiaco victus fata ſubiuit agro.
Non trepidans illi Germania ſenſerat hoſtem
Eſſe parem:tanto bella rigore tulit.
Vſipetes domuit bello,domuitq́; Cheruſcos:
Ille Morauorum pila gerebat agris.
Flauicomos dura fudit virtute Sicambros:
Inſolito Sueuis arma furore tulit.
Amaſis hunc vidit nauali fundere bello
Bructeriam:vidit bella mouere Vidrus.
Vueſtualicos acie pugilum ſuperauit Abnobos
Victor:& indomitum ſuſtulit igne nemus.
Pontibus hic Albim Rheno cum flumine ſtrauit:
Sublicio ſepſit ponte Viſurgis aquam.
Peruia qui tantum præbebat flumina claſſi,
Inſolito Mogi ponte ligauit iter.
Harciniam lacera Dux pandidit arbore ſyluam.
Peruia Romano palluit hoſte via.

Sæpius hæc Latio terrorem mouerat hosti,
Se modo nudatam munere sylua dolet.
Nuuc abit in campos,& hianti panditur aruo:
Rara sub insolito sternitur vmbra die.
Hæc trepidis quondam valuit præbere latebras
Sylua: bonis sedem fecit; asyla malis.
Iam latebras nescit; planè deiecit asyla
Area: planicie saltus & agger abest.
Hoc potuit Drusus, qui nil præstare timebat:
Tam vehemens illi cura laboris erat.
Hannibal ærumnas Romanæ vouerat vrbi:
Teutonico Drusus fata vouebat agro.
Illius excepto Germania nomine pallet:
Cladis & antiquæ funera bile docet.
Vsus adhuc, quando sæuit Germanus in hostem,
Vt te Drusus perdat. *Increpat hunc Drusi nomine: bella crepat.*
Bingia laudatur, tanto quod contulit hosti
Fata; quod ærumnis contulit ipsa modum.
Liquerat huc placido Basileiam tramite Rhenus:
Turbida nec scopulis pertulit vnda moram.
Ripa nec arctato coniunxit limite preßa
Ostia; sed Rhenum laxius egit iter.
Non aqua præcipiti pendebat deflua saxo:
Calle sed æquato libera fudit aquas.
Est rapidi simulac ad Naidos ostia ventum,
Arctior hinc ripæ faucibus vnda coit.

Nam

Nam validi ripa montes iunguntur vtraq;:
Semita vix fluuij sufficit vna minis.
Nec prius æquato procedet tramite Rhenus,
Vbera quam Bonnæ miserit arua retrò.
Rhenus vt exhausto ditescit Naidos amne,
Deserit occasum tramite:Corus adest.
Mons subit ad læuam; Roberti nomine gaudet:
Cœnobij nitido claret honore locus.
Intercepta procul medio stat flumine turris.
Insula diuiduo cingitur arcta lacu.
Horrida sed mures tribuerunt nomina turri:
Mure sub vltori fata quod Hatto tulit.
I nunc,& sæui bilem contemne Tonantis.
Mure potest minimo pœna nocere Dei.
Messis erat raro segetum dotata fauore.
Paupere nil potuit vilius esse viro.
Paupere paupertas languescit frigida lino:
Verminat esuriens,paupere mœsta penu.
Auget egestatem morbus,contempta mouetur
Pauperies:omni cassa fauore perit.
In rigidis passim miseri iacuere plateis,
Quos miserè letho vouit acredo famis.
Vita quibus restat,vitam mutare volentes
Sanguinea fatum præripuêre manu.
Est dolor in vita truculens;in funere terror:
Conditio sortis nulla placere valet.

Quis stadium vitæ letho mutare peroptet?
Cum miser haud poterit viuere, fata cupit.
Mundi cuncta ferit Labyrinthus pessima. Fletu
Nascimur; est artu viuere; pœna mori.
Sed melior vita mors est, extrema malorum
Linea: materiam viuere cladis alit.
Mors vt pœna Dei, pœnæ sic dicitur huius
Finis: ab effectu desinit esse nocens.
Hanc igitur summo plures mœrore sepulti
Flebilibus visi sollicitare modis.
Nempe soror Turni mortem Iuturna petiuit:
Caucaseus mortem vellet adesse gygas.
Gaudet adhuc Cheiron votis cessisse petita
Funera: dum potuit viuere, lætus obit.
Velle mori, nec posse mori, nec viuere, durum.
In misero sors est optima, posse mori.
Hanc meruit sortem, qui se fastidit, egenus:
Hac etiam pauper sorte beatus erit.
Solus erat fœlix, animi mœrore solutus,
Pauperis haud speciem nouerat Hatto viri.
Qui non pauperiem sapuit, qui diuite largus
Sorte tumet, miseri damna videre nequit.
Finitimos inter tantum frumenta tenebat
Hatto: quas habuit fœnore legit opeis.
Depositas partu repetit maiore quotannis
Diuitias; quarum summa perire nequit.

Nec

Nec largitus opem, veluti debebat, egenis:
Dona nec ægrotis mittere, doctus erat:
In loculis oculi fuerant; superesse bonorum
Bestia nil orbo duxit in orbe satis.
Alter erat Crassus: Crasso sed auarior ipso:
Dignus vt imbibito deleat ære sitim.
Deliciæ, numi; risus, iactura pupilli;
Restis, auaritiæ cœna dolentis agit.
Nec subijt restim: dignus maiora subire
Fata: manu fortis debet obire Dei.
Prodigus hac melior ratione putatur auaro:
Officium quamuis neuter honoris amet.
Erogat in vita fortunam prodigus: acri
Quæ fuerant nisu parta, quiete vorat.
Omnia consumptor rerum transfundit in omnes:
Symposij fratreis ardet habere sui.
Horret egestatem minimè: fastidit auara
Pectora; cum socijs prodigit ipse sua.
Partis ipse frui gestit: non abstinet vti:
Dedecus hæredi linquere multa putat.
Debita condonat nonnunquam debita gratis:
Si superet censum sumptus, abesto dolor.
Sic Epicuræo vitam solatus honore,
Cogitat extremum quemlibet esse diem.
Ille tamen peccat: sed dum conuiuit amicis,
Inter eos pauper sæpe iuuatur homo.

Ille sibi prodest, alijs prodeße laborat.
 Non male, sed cunctis victitat ergo benè.
Quò socijs prosit, non hoc expendit auarus:
 Pauperis ad lachrymam munijt æra seris.
Post obitum quamuis valeant prodeße nepoti
 Aera, vel ad miseri cedere vota queant:
Attamen hæc curæ legit non illius ergò,
 Vt miseris fautor rebus adeße velit.
Aere voluptatem potius concepit adepto:
 Dum fuit in viuis, prætulit æra Deo.
Non sibi, non alio, damnatus ad omnia, viuit:
 Sustinet æs dominum: sustinet ille nihil.
Dum moritur, prodest, quod non sperârat, amicis:
 Dum nil vita iuuat, funeris hora iuuat.
Nil ageret rectè, si non ceßaret auarus
 Viuere: post obitum cogitur eße bonus.
Cogitur eße bonus, quod noluit optimus eße:
 Quod nequit, id miserum conficit, eße nocens.
Officit in vita miseris; à funere prodest.
 Scomma fit hæredi Tantalus ipse suo.
Omnia crebrò datur qui gutture digerat; hæres
 Prodigus ex nimio scribitur aße nepos.
Hatto nocet vitæ simulac producta manerent
 Stamina, non misero præstitit ille fabam.
Pluribus in vita nocuit, quàm funere demens
 Profuit: ob vitam mortuus ergo male.

Si rem prodigeret; socijs si traderet æra;
Munificam miseris fortè dedißet opem.
Sed quoniam plus ac parcè viuebat auarus,
Pauperis auersa negligit aure preceis.
Turba Saguntino plusquam defecta calore
Supplicat Hattoni fletibus: Hatto fremit.
Per sacra per diuos orant, per mutua rerum
Fœdera, per totum quicquid in orbe placet.
Non sacra, non Diui, rerum non mutua placant
Fœdera: non populi flectitur Hatto prece.
Non prece mercari panem gens, expetit ære:
Non prece, non precio vendidit Hatto stipem.
Ferrea placari simulabat pectora tandem:
Mollior apparet luctibus eße rigor.
Ah iam bis miseri, placido quid fiditis hosti?
Fraude solet præcox raro carere fides.
Spem facit, oranteis amandat in horrea præsul:
Præsul erat; sed non præsule digna facit.
Turba lupo credens procedit in horrea raptim:
Ostia præcludi restibus Hatto iubet.
Desuper effractis cumulabat sedibus ignem:
Et casa Vulcanum stramine plena fouet.
Culmine flamma ruit; glomerātūr ad intima na-
Aestuat igne cohors; æstuat igne casa. (phtha:
Heu scelus, & nullo delendum tempore crimen.
Sic homini Dæmon fata ministrat homo?

Hat-

Hatto popellorum debebat Episcopus esse;
Fit lupus:& propria viscera rodit ouis.
Pauperis eximit mercatum munera vitæ
Plebs,quæ non poterat credere fata subit.
Quid miseris restat?miseri falluntur: acerbus
Est fumus,est rutilo sæuior igne,dolus.
Talibus imponit Colophonem cladibus Hatto,
Ne sceleri quicquam restet,vbique nocens.
Litigat:hostili pereunt eis afficit ira:
Ante foreis stomacho sæuit agente minas.
Vt satis inuiso sæuitum pectore sensit:
Scommate prob miseros excipit ante casam.
Dum miseri clamant fletu lamenta crepantes;
Sub trabe;dum valido fata sub igne vident:
Qualia confundunt,imitantur sibila mures;
Clamitat,in risum soluitur Hatto iocis.
Ignibus abrumpi mirantur stamina Parcæ;
Stamina fœlici viuere digna colo.
Sic pereunt illi.Sed non vindicta Tonantis
Deserit Hattonem:muribus Hatto datur.
Arripiunt illum mures:funesta minantur
Præmia;quo meritus sanguine fata petet.
Exanimum muscæ veluti transire cadauer,
Vulnera cædendo faucibus alta,solent:
Aut veluti sæuæ ligno suspensa volucres
Rodere vesano corpora dente parant:

Cru-

Cruribus Hattonem ſubigunt ſic vndique mures:
Cingitur, & iuris deſinit eſſe ſui.
Hatto fugam prændens mutatur in omnia more
Proteos: ampla Dei præuenit ira fugam.
Inuolat aſcenſo faſtigia culmine tecti;
Scilicet hunc mures tecta per alta petunt.
Ingreditur vepres: ſed non vepreta tegebant:
Ingreditur ſyluam: ſylua iuuare nequit.
Incurrit viteis: non hunc vineta tenebant,
Qui ſuperum fato dignus obire fuit.
Scrinea cur intret? mures in ſcrinea reptant.
Cur ſubit antra miſer? muribus antra patent.
Non validis illum munit conclaue latebris;
Clauſa nec artificum viribus aula tegit.
Horreat ad mentum gelido ceu Tantalus amne:
Deneget haud nando muribus vnda viam.
Templa Dei ſupplex adeat: ducatur ad aras:
Non abigunt mures templa; nec ara fugat.
Fuſtibus arcetur: non curat beſtia fuſteis:
Beſtia contemnit verbere trita ſudeis.
Antea deriſor miſerorum, deſijt eſſe
Riſor: & infœlix incipit eſſe dolor.
Antea ſurda ſter miſeris non prabuit aurem:
Clamitet: hunc ſurda negligit aure Deus,
Tentat aquas, Elementa gregi contraria ſicco;
Auxilij poſtquam vidit adeſſe nihil.

Naue

Naue secat Rhenum: turri vicinus aquosæ
Redditur: in turrim greßibus ipse subit.
Si qua patent, nunquid leuiße foramina prodest?
Per minimum Christi pœna foramen abit.
Ardua diuini pertranant flumina mures:
Maximus incubuit piscibus inde tremor.
Dorsa quidem mures vicêre liquentia Rheni:
Ocyus in validæ culmina tu rris itum:
Omnia perrepunt vltrices atria turbæ:
Non locus vndisona liber in arce fuit.
Hatto Dei pœnam sentit præsentis adeße:
Aestimat heu magno crimina: serò sapit.
Tempestiua placet superis metanœa: malorum
Et si tarda venit, serò querela venit.
Pauperis heu vitam magno nūc postulat emptam
Hatto: fuit populi dignus obire necem.
Muribus incumbit merito sententia iusti
Iudicis: & iudex spectat ab arce poli.
Christus erat pauper; nunquā contemnet inaneis:
Pauperis est ratio paupere digna Deo.
Iusta Creatoris subitò decreta faceßunt
Et nimio mures antra furore replent:
Morsibus inuadunt Hattonem: carnibus oßa
Expoliant: sæuo membra cruore lauant.
Sibila veloci fundunt vltricia saltu:
Vnguibus & rapido vulnera dente fricant.

Nec libitum ceſſare fuit, deuulſa priuſquam
Stirpitus exeſo viſcera ventre fluant.
Tantiſper ſæuire datum, ſuprema miſello
Sacrilegi donec gutta cruoris ineſt.
Horribileis inter peragit lamenta doloreis
Hatto: replent mures ora; ſonare vetant.
Mortis in aduentu mutauit ſtamina vitæ:
Occidit: indignus viuere latro fuit.
In lacerum ceſſant mures ſæuire cadauer:
In lacero nullum corpore corpus agit.
Quinetiam dempſit miſero Fortuna ſepulcrum,
Cuius in improbulo viſcera mure latent.
Oſſa ferat turris; verum Regnator Olympi,
Pars vbi ſit melior ſpiritus, ipſe ſciat.
Oſſa licet credantur eò tranſlata fuiſſe;
Attamen effectus nomina turris habet.
Aede ſit Albani tectus, non deſinet Hatto
Exitij famam ſignificare ſui.
Qui non pauperem ſpeculatur Epiſcopus, ipſa
Horrea non patriam ſentiet eſſe Dei.
Hanc igitur turrim Rheno quicunque tueris,
Non malefacta putes vlla latere Deum.
Non Aquilam fallit; quamuis diſcurrat vbique
Et pede non ſegni tranſeat arua Lepus:
Quis poterit magni faciem vitare Tonantis,
Quem coma non fallit verticis vna tui?

Inſi-

Infima despectat cœlo qui viscera terræ:
Qui prius ac fiant omnia, nosse potest.
Si fugias illum: te mox quacunque sequetur
Parte. Deum cœli nemo latere valet.
Vt misero, bilem simulac effundit: adesse
Cogeris: haud domitrix fallitur ira dei.
Quî tumidum sylua valeas arcere Leonem,
Indiga quem tremulo macerat ore fames?
Flammam quis stipulæ demet, cum ceperit æstu,
Et Zephyri flatu cuncta fugantis ali?
Quà ruit angustis riparum faucibus vnda,
Magni quis poterit claudere fontis iter?
Excussam neruis an quis vitare sagittam,
Quæ vel saxa tonat machina, ferre queat?
Dira quis auertet fugiendo Numinis ora;
Cum volucreis possit nemo latere Deos?
Terreat exemplum: frustra se subtrahit Hatto,
A facie domini, liber abire nequit.
Quem miserè vitat, vitans occurrit eidem:
Vndique deuitans Numina, turre perit.
Victor ab excelso pugnet si vertice turris,
Vinceret: innumero liber ab hoste foret:
Et iam non acie belli, non vapulat armis,
Mure sub exiguo funera præsul obit.
Ergo deus mirè punit delicta malorum:
Quo minimè credis pœna furore venit.

Muri-

Muribus Hattonem, Syllani robore vermis
Compulit Herodem Numinis ira premi.
Fata nec Herodes prænouit talia Latro.
Hatto nec expandit talia mente latro.
Ardua debentur sceleratæ funera menti.
Vox oppressorum sydera iure ferit.
Pœna quod exemplis scelerum diuina relucet?
Disce, quid officiat vindicis ira Dei.
Ergo pij miserere gregis: miserere clientum:
Diuitis haud surdas conuenit esse foreis.
Deflua pernici deducit flumina gressu
Rhenus; & audaci carbasa classe vehit.
Altius Erueldum medio stat vertice montis:
Ad fluuij dextram castra iacere vides.
Possidet exili lœuam qui culmine vicus,
Bingiaci nomen præstat inane specus:
Hasmanshusiados pagum tutatur arenæ
Rhenus: aquæ dextram tecta subire facit.
Arx tenui sedem gyro Vasberga coronat:
Contiguis arcem lœua venustat aquis.
Ardua veloci demittit cornua fluctu
Rhenus; & albenti flumina ducit equo.
Plurima præcelso veneratur culmine castra:
Hosce nequit quorum nomen inire modos.
Dum Legio Rheni decorat Traiana sinistram,
Passus mille retrò Bingia quinq; fugit.

Pagus it Heimbacum;læuo stat fluminis arcu:
Dextro Corichium fluminis ore sedet.
Cardine Dembacum læuo fert culmina: dextram
Corichÿ gestit parua subire domus.
Mille quater passus simulac Traiana recedunt
Culmina, Bacbracum gurgite læua ferit.
Dicitur hæc Bacchi sedes: fert montibus arcem:
Insidet oppiduli mœnibus ipsa sui.
Proxima contiguo diffunditur insula tractu;
Quam media Rhenus parte fatigat aquis.
Altera cornuto maior consurgit ab æstu
Insula: spumarum molibus acta fremit.
Illa Palatinæ generosum sustinet arcis
Nomen: & excelso mœnia colle leuat.
Pagus & arx dextro Coueanum margine surgit:
Verticis hac apicem possidet; ille pedem.
Obuiat arx; celsi spectatur acumine montis:
Arx latus ad læuum condita propter aquas.
Altior extemplo Vesalia subiacet arci.
Solis ad occasum flumine Rhenus abit.
Solis ab exortu nitidi curuatur ad Arcton:
Leniter in spiras cornua Rhenus agit.
Mons subit ad Rheni dextram; despectat in vndas;
Sub latebris Echo quem resonare facit.
Præteriens illum si tu clamore fatiges,
Monstrifera casum voce minatur apex.

Territat

Territat idcirco nautas: in flumina Rheni
Sæpius euulso creditur ire specu.
Ille supra Rhenum scapulis dependet: Abnobo
Altior: illustris sustinet astra poli.
In varijs Echo residet montana cauernis;
Quæ simulac hausit verba, referre solet.
Si tonitrus ictum simulet Bombarda nitrati,
Hæc tonitrus ictum Diua redire facit.
Stipite si montem quatias, aut verbere saxi;
Vertice ceu lacero dirutus horret apex.
Caussa tamen monstri: passim dissecta cauernis
Saxa patent: passim monte foramen hiat.
Nulla tamen montis gremium speleia pererrant:
Concauitas totum nulla secare potest.
Vox quoties transfertur cò, conclusa latebris
Ire parat: sursum dorsa cauare nequit.
Obstruitur: nusquam solidis emissa vagatur
Sedibus: hinc etiam cogitur ire retrò.
Cogitur emitti; fuerat quo prodita primum,
Quo fuerat primum calle recepta, redit.
Fertur ad authoreis iterum dimissa: nec illi
Obstat iter: mutilo cuncta fragore replet.
Diua breui voceis rerum definit hiatu.
Interualla sonos carpere longa solent.
Sic &, quo fuerant, nec eodem robore missa,
Quæ remouet paries saxa, redire queunt.

Deserit Arcturum dextro qui limite Rhenus,
Nunc iterum Cori regna frementis adit.
Eminus à dextro Mellensia cardine Rhenum,
Hortarij regis terra de Herich. *Eminus Hortarei sessio regis habet.*
Arx simul apparet Cattorum nomine clara
Meliboce: nitidum monte leuata caput.
A lare Bachraci descendit turbine Rhenus,
Mille simul passus octo peregit iter.
Pagus ibi: nomen fertur sortita Goâri
Et domus: & dextrum possidet illa latus.
Oppidulum lœua petitur regione Goarum.
Hîc celerem mergit crebra Charybdis aquam.
Ocyus orbifluo circundatur impete fluctus:
Transfuga sub fundum turbine fluctus abit.
Antea qui fluuio potuit spatiosior esse,
Creditur amisso Rhenus ab amne minor.
Non tibi sit mirum, Natura quod vtilis egit:
Hæc aliis etiam fata reliquit aquis.
Taurominitanæ superest vertigo Charybdis:
Grandis ibi Siculo demitur vnda mari.
Obstat Noruegiæ Muscostrum cærula sorbens:
Integra sub scopulos cedere rostra facit.
Non melior tantum Rheno Natura reliquit
Cladis: aquæ fraudem nauta cauere potest.
Arx venit: à Rheni sortitur nomina rupe:
Fluminis ad lœuam vertice montis agit.

Castra

Castra Dorumburgi Rheno semota parumper,
Suspicit ad dextrum surgere nauta latus.
Velmichium dextra Rhenus lambente salutat:
Culmine quod nitido mœnia penè replet.
Hirsnoeam Rheni properat spectare sinistra:
Paltsichium Rheni læua videre parat.
Supra Bornhoueam modico stant limite bina
Castra: tenent dextrum monte leuata latus.
Campus amat dextram pagi contentus honore.
Cœnobium Vestæ læua nitentis amat.
Dum solito pergit cursu lassare fluenta
Bodobrigam læua Rhenus obire parat.
Bodobrigam sedes remouet præclara Goari:
Mille nouem passus inter vtramq; cadunt.
Obuiat exili Speianum culmine duplex:
Et fluuio pagum Rhenus vtrunq; ferit.
Præsidet à dextris Phœbi conuersus ad ortum
Primus; & Aeui nomina pagus habet.
Alter adhuc læua Rheni tellure leuatur:
Forsitan is Zephyri nomina pagus init.
Arx & pagus habet Brubachia nomine dextram:
Obtinet hic planum; montibus illa sedet.
Pagus adest; Rheni nomen signare videtur.
Gurgitis ad læuam culmina stare vides.
Visitur hac sedes etiamdum Regia parte.
Bina Lani rupes rupe recepta subit.

Alta Lani rupes dextram sortita fluenti:
Insuper oppiduli nomina fortis amat.
Ima Lani rupes pagum præstare videtur,
Arx Lanichi rupeis inter vtrasq; sedet.
Mille ter, & totidem paßus ad flumina Rheni
Bodebrigam retrò mittit abire Lanus.
Principis Anglorum Videchindi nascitur aruis,
Et Lanus Haerbergi pascua fonte rigat.
Alluit Haßiaco Lapsena mœnia tractu:
Mœnia Martpurgi ciuibus apta secat.
Ditia longinquo Solamysi deserit arua:
Mœnia Solcinij nomine dicta prius.
Eminus oblongo Gasanum limite spectat:
Candida Limpurgi cominus arua videt.
It Lapis hinc Aquila: Naßauia linquitur illinc:
Longius Embsena culmina stare notat.
Præterit Embsēseis, dextro sed margine, Thermas:
Est quibus à vico nomen; ab amne calor.
Vndis sulphur inest, nec alumen præterit vndis:
Plurima Chalcanthi portio; rara nitri.
Harum sub camera pars & testudine tecta:
Aere pars nitido libera præbet aquas.
Aedita Lanstani fœcundat iugera castri
Inde viceis Rheni gaudet inire Lanus.
Inde Capella subit pagus; subit arxq; Capellæ
Monte stat arx: plano pagus in orbe cubat.

Vuittikensteen Comitatus.

Aquæ calidæ Embsenses.

Sed

Sed ne forma situs pereat, ne nauseet hærens
Lector: obit lævum monte Capella latus.
Insula Nonnarum circundatur agmine Rheni.
Clericos ad dextram culmina pagus habet.
Castra Lani Rhenus simul atq; recolligit, illa
Quinq; retrò passus mille remota videt:
Dum fluuio præceps agitur torrente Mosella;
Irrigua scindens fronte Mosella solum.
Puniceo quantum valeat distare Mosella Epilogus libri Tertij.
Necchariis, in medium dicere causa iubet.
Collige viginti Parasangas ordine: passûm
Millia collectis adde bis octo locis.
Sic spatium Rheni certa narratur amussi,
Ne spatio quicquam desit, amussis ope.

Finis libri Tertij.

LIBER RHENI QVARTVS A CONFLVENTIA INFERIORI, VBI MOSELLA fluuius Rheno miſcetur, vſque Coloniam Agrippinam & Tuitium protenſus.

ARGVMENTVM IN LIBRVM RHENI Quartum, à Confluentia inferiori, vſque Coloniam Agrippinam & Tuitium.

MOſella fluuius deſcribitur. E regione ad latus Rheni dextrum, arx Erenbreitſtein mõte recepta altiſsimo ripis imminet. Ad lœuam eſt pagus paruus D. Sebaſtiani, Engers appellatur: eodem latere Engers pagus priori maior exiſtit: à dextris verò Engers eſt oppidum: ibiq; Rhenum Veda flu. influit.

A Cõfluentia vſq; Engers oppidum ſunt quadraginta ſtadia.

Rhenus inſulam faciens pagum habet

bet Vrmelum lœua,& turrim Platzenborn.Erliceum dextra; Isaliam regionẽ & fluuium,nec non Antoniacum oppidum lœua præterit.

Ab Engers oppido vsque Antoniacum sex millia passuum.

Rhenus à dextris habet pagum Ludesdorpiam,margine porrectam ripali, eadem parte arcem Hamerstein; Oberhamerstein,Nederhamerstein pagos. à sinistris arx est Rheni Broel,à dextris pagus Broel.à sinistris arx Rhinęcia in mõte posita. à dextris pagus Huningum, à sinistris opp. Brisichium, à dextris Argueldum castrum.

Rhenus verò dum continuo in Corum gressu labitur: ad lœuam habet fl. Aarum,qui ab Aruilla fusus:excipit fontes saluberrimos, vnum ex monte, cui arx Landeskroen incumbit,alterum iuxta Sensichium. Rhenus inde Linseã dextra alluit.

Ab Antoniaco vsque Linseam opp. centum sunt stadia.

Rhenus ad dextram pagum præterit

Erpelliam,ad lœuam Rhinomagin opp. ad eandem partem habet Montem, qui Bernalis eſt. Ad dextrã Vincoliũ pagũ, ad lœuam Vinthremiã:inſulam inde facit,cœnobium virginũ:nec longè ad dextram habet pagum Huuanum,ſed lõgius ſeptem montes,quorum quatuor hab tabiles ſunt.Rhenus ad lœuam alluit opp.Bonnam:è regione cuius Genoſiã fuiſſe,author eſt Flor⁹.memoriæ quoq; proditũ eſt, pontẽ ibi aliquando fuiſſe: ſed nec iã Genoſię,nec põtis reliquiæ ſuperſunt.Bonna verò adhuc ſatis cõſiſtit.

Inter Linſeam & Bonnam centum ſunt ſtadia.

Rhenus monaſteriũ habet lœua virginum,quod Filichium dicitur: dextra Luſtorpiam arcẽ cum pago alluit,Lœua Veſlingiam pagũ,eadem parte,ſed à ripa remotius,Guturpum habet. Sigena fl. Rhenũ à dextris influit:qui iuxta Videchindi Anglorum principis arcem naſcitur,non procul ab Haerbergen. Sigenã alluit caſtrum Sicambrorum, Frenſbergum,Vindecã,Plancoburgũ &Siburgũ.

Præter-

Præterea Sigena fl.ad Auſtrum finis eſt Anze Teutonicæ,cuius deſcriptionē in carmine latius exequimur.Rhenus autē à ſiniſtris quàm proximè alluit D. Materni pagum:inde,& eadem parte Coloniam Agrippinam,& Tuitium.

Inter Bonnam & Coloniā ſunt duodecim millia paſſuum,

A Confluentia inferiori vſque Coloniam ſunt trecenta ſtadia, & octoginta quatuor:quæ faciunt duodecim miliaria Ger.cōmunia.

Qui

QVi iam posterior numero, quã tertius, idem
Dum prior est quinto, cedat in ora liber.
Cedat in ora liber, qui dicitur ordine quartus.
Continuemus iter: continuata iuuent.
Quod nimijs ripa passim dotetur vtraque
Gentibus, & passim mœnia Rhenus amet.
Efficit vbertas terræ, vel gratia Rheni,
Aura vel illustri climatis vsa gradu.
Quod sub inæquali ripas cultore tuemur,
Cæsaris ex Latij milite caussa venit.
Par numero ripæ non est possessor vtrique:
Par neque vicorum forma, nec vrbis honor.
Innumero Rheni legitur cultore sinistra:
Qui colat ad dextram flumina, rarus adest.
Oppida cesserunt sub Belgis plurima læua:
Non sub Teutonico dextra tot orbe capit.
Huc Aquilas Cæsar quoniam Romanus agebat,
Gallus vbi latè Belga ministrat opeis.
Castra suis illic statuit præclara maniplis:
Hîc statio Marti cessit amica locum.
Teutonicas illic promptum sedare coborteis;
Quæ Latijs magni caussa pauoris erant.
Cæsar vt istius truncaret cornua gentis,
Fluminis ad læuam traxerat ergo moras.
Iulius haud tantùm Cæsar; post Cæsaris arma
Romulei, castris arma tulêre duces.

Oppi-

Oppida de castris processu temporis orta:
Fundatoris adhuc plurima nomen habent.
Quæ senio clarent, lateri vicina sinistro
Mœnia, Cæsarij tempore nata gregis.
Quæ latus ad dextrū nitida stāt culmine structa
Oppida, successu temporis orta reor.
Non igitur claras mirare quod obtinet vrbeis
Rhenus, vbi lœuum spectat adesse latus.
Vrbs subit: vndarum confluxu nomina duxit: Cobolentz oppidum.
Quinetiam lœuo fluminis orbe sita,
Causa, quod vndarum concursus nomina præstet:
Qua subijt Rhenus parte, Mosella subit.
Nascitur in Belgis ad anheli fragmina Iuræ
Puniceo lambens amne Mosella solum.
Cominus ad lœuam dimittit flumina Mosæ.
Eminus ad dextram flumina Rhenus agit.
Non caret vnda bonis; locuplete q; obsita Baccho
Arua secat, rupes vrbe Mosella tegit.
Ast fluuij doteis nequeo tractare: Poëta Ausonius.
Burdegalæ scriptis satque superque dedit.
Maior enim virtus fluuij præclara Mosellæ,
Gloria quàm poterit carminis esse mei.
Quod capiat flumen, quæ partim mœnia seruet,
Quo veniat primum fonte Mosella cano.
Rumarici claustrum subiens illustre, Volœi
Fluminis ad dextram tollere gaudet aquas.

Præ-

Præterit ab læuo Spynali cardine muros:
Inde Moselpurgi tecta liquore rigat.
Præterit à dextris Boiani mœnia: Tullum
Nobile, Condæi postea spectat agros.
Excipit obliquo Mortanæ flumina tractu;
Flumina squamigero digerit apta gregi.
Monte cadit celso fertur Mortana Brinerum:
Et teneris ripam lambit vtranque labris.
Ramberti Villamque subit, Villamque Geberti.
Hinc abiens Mortæ prædo iuuatur aquis.
Montis ab excæsi glomeratur vertice Morta:
Morta Theodati valle coactus abit.
Contiguum dextra linquit tellure Rauonum:
Danubrium læua mittit abire manu.
Excipit à dextris Monti quod cesserat albo
Flumen, & ad Lunæ culmina voluit aquas.
His simulac auxit sese Mortana fluentis,
Vndisona clarum fronte Roseton adit.
Inferius potat, quod dat Ruxinga, fluentum:
Nicolei pergens tecta rigare parat.
Linquitur illustris Lotharingo Nansea tractu,
Nansea priscorum tempore clara viris.
Vndisona maior crescit virtute Mosella:
Linquitur arx; nomen motio pontis agit.
Inde Metis petitur populo veneranda Metensi:
Nobilis illustri Sella sub vrbe perit.

Vndam

Vdam Sella rotat: Linderi nascitur æstu
Aequoris: ad Dusæ culmina voluit aquas.
Præterit herboso Marsellam turbidus amne:
Castra procul fugiens ipse Salina videt:
Inferius fluuio subigit resonante Nomenum
Sella: graui Sellam bile Mosella rapit.
Tot simulac vndis sese prædator adauxit,
Claustra Dinoduri mole Mosella rigat.
Digerit ad læuam breuioris cornua Suræ:
Grandior ad dextram turbine Sarrus adest.
Sylua pium Suræ confert Arduenna fluentum:
Flumen Alisontis Sura ferire facit.
Lutzelburgorum sedeis explorat Aliso:
Flumine nil ipso dulcius esse reor.
Tecta Viandenæ simulac angusta reliquit
Vrus, adit Suræ flumen: omittit aquas.
Mordicus absorpto Pronæam flumine Sura
Digerit: ac Nemesæ flumina mole capit.
Egreditur pulcra Sarrus tellure Quirini: Sarburgū.
Nominis ad proprij castra nec ire timet.
Culmina Vinstingæ; Saruerdam postea linquit:
Inde Buchenhemi tecta venustat aquis.
Diues vbi læto vigilat Sargmunda vigore,
Sarrus inoffenso rura liquore coquit.
Accipit occursu famulantis cornua Blisæ,
Cornua multiiugis comiter aucta vadis.

Sed

Sed quæ Elißa prius gemino sunt cognita ponti
Flumina, Lucnbrugi partibus acta rapit.
Dum solito pergit cursu tranare Mosella,
Candida terrarum candidus arua lauat.
Vitrea fœcundi peteret dum flnmina Niddæ,
Mox proprijs Niddæ labra maritat aquis.
Fertur ab occasu Treuerim, defertur ab Euro:
Nouomagum curuo lingit inane gradu.
Constantina leui metitur nomine castra.
Eminus aduecto cernitur amne Pales.
Mordicus absorbet violenti cornua Gelbis.
Gelbis ab Arctoo nascitur orbe caput.
Huius & vrgetur Tarbellia margine riui;
Cuius & Ephaliæ nomina tractus habet.
Abluitur curui gyro Cusana Mosellæ.
Flumina Mæandri flexibus instar eunt.
Pisciferum viridi rapiunt regione Lesuram.
Exigua fluuium mole Lesura vehit.
Conditur hinc amnis, dextra qui liquerat ante
Mœnia Vualdechi diuite structa loco.
Hinc alias (quarum vix nomina dicere poßum)
Sorbet aquas, quarum laude Mosella viget
Tot fluuij quamuis poßent differre meatum,
Ad ripas properant ire Mosella tuas.
Se tibi quinetiam malunt super omnia iungi,
Limpida quàm validi scandere regna maris.

Omnia

Omnia quis dicet? Serpendo praterit arceis
Prateriens vrbem fronte Mosella leui.
Limite mox dextro stationem praterit Huni:
Ephaliam lœuo mittit abire gradu.
Praterit ad lœuam Meinfeldi iugera longè:
Imminet à dextris Alcona: spectat aquam.
Defluus excelso Cobarenum gurgite linquit:
Flumine iam fesso longius ire nequit.
Vt Borean lœua, dextris suspectat Eôum,
Sceptriferis Rheni conciliatur aquis.
Desinit in Rheni lœuam: vis permanet vnda:
Purior & Rheni fluctibus vnda nitet.
Arx fluuij dextram traiecto despicit amne;
Nubifero montis suspicienda iugo.
Tecta Semiramia superant Babylonis honorem:
Condita tam forti cernitur arce domus.
Pinea munit as. ostentant mœnia turreis:
Alta sede incumbunt turribus astra poli. Erenbreitstein arx.
Nomen inest castro, quod vix efferre licebit;
Carmine quod Latio dicere Musa nequit.
Cassilium tractu poteris spectare sinistro:
Prodita Castelli nomine castra reor.
Engaria tractum duplicis lustrare sinistra
Rhenus auet: pagum propter vtrunq; fugit.
Prospicitur retro simulac cessisse Mosella
Flumine, viginti millia quinq; pedum;

Vrbs subit Engariæ celeberrima dotibus æui
Vrbis in amplexum: dextera vadit aqua.
Hac igitur Rhenus cedit tellure: Seenam
Linquit: eam Rheni dextra videre nequit:
Rhenus ad angusti lasciuit basia Vedæ:
Auxilio magnis esse minora queunt.
Quà leuis orbifluo circundatur insula fluctu,
Vrmelium dextra Rhenus inane ferit.
Platzcborn tur *Non procul hinc turris stat eodem condita tractu,*
Lingua Latinorum nomen inire nequit.
Eminet ad Rheni læuam: fert vertice cœlos:
Turris apex longè multa videre facit.
Erliceum Rhenus pagi commendat honore:
Erliceum Rheni dextra venustat aquis.
Montibus arctari patitur dum flumina sæuis,
Ephalicis Rheni læua videtur agris.
Ephaliј sese fluuio torrentis adauget:
A minimo tellus flumine nomen habet.
Arduus exegit passûm sex millia cursu
Engario postquam Rhenus abiuit agro:
Antenacum læua properans defertur opimum:
Antenacum cuius tecta placere valent.
Vrbs Antoniacum meritò dicenda videtur:
Aptior & ratio nominis esse valet.
Finibus Ephalιæ, qui condidit omnia, factor
Mirificos fato fecit inesse lacus.

Sunt

Sunt gemini: celsa montis conualle leuantur:
Vnda nec exundans littore semper agit.
Non coeunt: centum stadijs distare videntur
Et totidem: verax monstrat imago situm.
Ne valeant fundum passus monstrare trecenti,
Hæc voluit fundo stagna carere Deus.
Flumina non stagnũ subeunt, sed flumina stagno,
Flumina squamigero, scilicet, apta gregi.
Ima nisi tellus liquido percussa Tridente
Ferret aquas, fluctu sicca careret humus.
Ast aliud mater rerum Natura poposcit:
Perpetuos monti iussit inesse lacus.
Alter ad Abbatis claustrum dat serpere stagna: Tzum laick
Alter ad Vlmenum serpere stagna facit.
Hic Manderscediæ ditionem respicit ora: Laick by Vlmen.
Proxima Meinfeldo respicit ille iuga.
Ille fouet piscem, cubitis qui tenditur octo:
Quem fouet hic, duplo longior instat aquis.
Effigiem ceti pisces præstare videntur,
Corpora si videas pondere vasta suo.
Si videas formam, ceto differre videbis:
Tunc faciem piscis præbet vterque lupi.
Piscis ab Abbatum claustro si cernitur, Abbas
Aut alius fratrum fata repente feret.
Piscis ad Vlmeni castrum si porrigat ora,
In dominum castri Parca ferire solet.

Mira Dei virtus, hominem nescire, quod ipsa
Bruta sciunt, hominis bruta videre necem.
Squallidus humana prædicit tempora mortis
Bubo: diem lethi spurca tuetur auis.
Ast homo Diuorum facies, & gloria cœli,
Mortem scire potest, tempora scire nequit.
Hæc ego quid miror? mirari desino: cuncta
Arbitrio magni stantq; caduntq; Dei.
Conditor abstruso fatorum numine mirus,
Mirifico semper mira labore facit.
Margine porrectum fert Ludesdorpia Rheni
Culmē: & ad dextrum murmurat vnda latus.
Malleus & saxum tribuerunt nomina castro:
Monte stat: ad dextram fluminis istud agit.
Et duo mox eius pagi sunt nominis infrà:
Altius hic, infra sustinet ille lareis.
Arx subit, ad læuam Broiellia fluminis extat:
Pagus & hoc dextram nomine pauper habet.
Obuiat excelso Rhinacia vertice surgens:
Fluminis ad læuum præsidet illa latus.
Arduus Huningum dextro fert margine Rhenus:
Brisichium læua mittit abire manu.
Aduenit arx dextris; Argfeldum nomine fertur:
Rhenus adhuc Cori regna frementis adit.
Aarus Aruilla rapitur: descendit ad arua
Sensichij: Solem spectat abire mari.

Fontem

Fontem monte capit, monte profunditur imo:
Arx etiam regni monte Corona sedet.
Et quas Sensichium iuxta se parturit, vndas
Excipit: ac medica defluit vber aqua.
Hi ferrugineo fontes torrente medentur:
Sulphureo partim labra sapore rigant.
Dextra Sensichium discedit nobile ripa:
Læua mons celebri nobilis arce patet.
Aarus exili deuoluitur agmine: Rheni
Nobilis in læuum voluitur vnda latus.
Antenaco centum stadijs vergente retrorsum,
Fluminis in rigui Linsea parte iacet.
Fluminis ad dextram spatiatur Linsea Rheni:
Grandior est pago vicus; & vrbe minor.
Oppiduli formam tenuis præferre videtur:
Nobilis est senio, nobilis amne locus.
Hîc tibi Rhinomagis iacet, hîc Erpellia: dextrum
Accolit hæc, læuum possidet illa latus.
Pauperis hæc seruat congestum cespite culmen:
Oppiduli formam diuitis illa gerit.
Obtinet arx læuam Bernali condita monte:
Vincolium dextra Rhenus inerme ferit.
Obtinet agresti Vintremia culmine læuam.
Insula cœnobium virginis inde facit.
Præterit Huuanum tardo non tramite Rhenus:
Et latus ad dextrum culmina stare videt.

Inghenvuerdt insula cœnobiũ virginum.

 Stant

Septem mõtes.

Stant procul à dextro septeni limite montes:
Altius in quorum vertice castra sedent.
Pars homini colitur, necdum desciuit ab vsu:
Pars hominem nescit; monstra fouere solet.
Hîc Lemurum formæ vulgus terrore fatigant:
Hîc Acherontæo spectra fragore tonant.
Sæpius ascenso frondator vertice viteis
Dum locat, insolito territus hoste fugit.
Euronotho septem spectare Colonia monteis
Quinctiam longè castra videre potest.
Quatuor exurgunt, nondum quæ sustulit ætas,
Castra: Dadunbergam monte venustat apex.
Salua Draconinæ restant fastigia rupis:
Nobis adhuc restant castra; manere vides.
Vertice Plancburgum lapidoso mœnia præbet.
Hæc hominum curæ tecta perisse vetant.
Cura facit canos, eadem defendit: ineptus
Quæ lacerat torpor, cuncta labore manent.
Castra trahunt æuo, quæ sunt neglecta, ruinam:
Sed labor, & vehemens tempora vincit amor.
Quod reliquas æui superesse potentia sedeis
Non finit; in medio caussa sit apta tibi.
Castra relinquuntur nullo deserta colente:
Quod superest, æui labe ruina tegit.
Restitui gnauo poterant damnata labore:
Torpor in integrum reddere tecta nequit.

Nam

Nam quod deseritur studio, desciscit ab vsu:
Indigenæ, ædes deficiente cadunt.
Tres steterant, versa totidem tellure premuntur
Arces; quod superest temporis ira rapit.
Pauca ruinosæ restant vestigia molis:
Ipsa ruinarum penè ruina perit.
Quæ fuerant olim turres, cessère sepulcro:
Quæ fuerant hominis tecta, reliquit homo.
Qui prius arctato strinxerunt limite Rhenum,
Nunc patula monteis valle repellit ager.
Aequorea montes abeunt tellure fugati:
Alueolo Rhenus liberiore fugit.
Dissita retrorsum stadijs it Linsea centum
Hinc, vbi præcelebris nomine Bonna iacet.
Bonna latus Rheni decorat præclara sinistrum:
Vrbs iacet in plano parua: sed apta scaphis.
Oppositam fertur spectare Genosia Bonnam:
Oppositum nescit Bonna videre locum.
Ponte licet fertur Drusus clausisse fluenta,
Bonna tamen ponti nescit habere fidem:
Vrbs Ptolemææ non est exempta Mathesi:
Hæc etiam fastis nota, perire nequit.
Hinc tibi Philichium, Lustorpia cernitur illinc:
Amne locum iungi Rhenus vtrunq; vetat.
Par vico mensura situs respondet vtriq;.
Dissimilis formæ fallit vtrunq; nitor.

Funditus amisso rarescunt culmine tecta:
Nam senij constat tecta ruisse malis.
Verum Philichij Lustorpia vincitur æuo:
Id ratio formæ nota docere potest.
Philichium cornu Rheni spectare sinistrum
Et modico pagi gestit honore frui.
Obtinet aduerso solium Lustorpia tractu:
Insuper hæc pagi nomen & arcis habet.
Hoc & Philichium, quod non Lustorpia præbet:
Philichium Vestas virginitate domat.
Obuiat ad læuam Vueslingia: gurgite Rheni
Dissita Gutorpum longius arua colit.
Flumina paulatim meditatur iungere Rheno
Qui nitido terras amne Sigena rigat.
Principis Anglorum Videchnidi nascitur aruis:
Natus ab Harbergi flumina voluit agris.
Tecta Sicambrorum populis exculta Sigenam
Aggreditur: pulcro rura liquore secat.
Culmina Frenspergi, Vindecam præterit inde:
Aedita Plancburgi montibus arua fugit.
Turrigerum fluctu subigit lambente Siburgum.
Excipit hunc Rheni dextera: gaudet aquis.
Illud omittendum minimè censemus: honori
Quod merita cedit parte Sigena tibi.
Flumen Teutonicæ spatium quod terminet Anzæ
Limes ab Australi dicitur esse plaga.

Anzæ

Anzæ quod senio disperdat nominu ansam
Creditur: at Gothico nomen ab Anze venit.
Anzes nam Gothiæ dicuntur nomine reges:
Et vox semideum barbara nempe sonat.
Regum primus erat tali sub nomine Gaptus:
Hic Italos Istri victor abegit aquis.
Barbarica quoddam virtute venustius egit:
Hinc patrio tandem maior honore fuit.
Ille sacramento pacis vicina coegit
Rura; simul bellum pacis amore tulit.
Sedula curabat vicinæ fœdera gentis:
Teutonicæ plusquam gentis amator erat.
Bella parabantur quoties externa, coegit
Fœdere collectum ductor ad arma genus.
Bellum sponte tulit; bellum non obtulit vltro:
Vltro bonus; verùm sponte seuerus erat.
Fœdere munitus sociorum restitit hosti:
Et socio nunquam lusus amore fuit.
Nempe fides illi meritò seruanda iubetur,
Fallere qui dubio nescit in orbe fidem.
Rex socijs cladem simulac instare videret,
Credidit vrgeri corporis ossa sui.
Sciuerat afflicto membrorum robore, lædi
Officio totum debilitante caput.
Sciuerat exemplo, paries dum proximus ardet,
Propria vicinis cedere tecta rogis.

L 5 Cum

Cum regio tristi caderet vicina periclo,
Anzes rem populi credidit esse suam.
Tunc rex & populus tumido rem vindicat hoste:
Consimili pugnam constituere manu.
Quam facili virtus hominum coniuncta labore?
Quam facili clades Marte repressa fuit?
Anzis ab exemplo nostræ sunt fœdera gentis:
Nomen & authoris fœdera gentis habent.
Anze propterea nondum desciuit ab vsu:
Restat adhuc: patrum more remansit amor.
Anze Teutonico sociauit fœdere pagos:
Fœdere coniunxit mœnia: iunxit agros.
Non etiam villas fastu contempsit inani.
Sæpe reflorescunt magna minoris ope,
Teutona Gallorum dominus sub fœdera cessit:
Anglia subscripsit partibus; apta mari.
Hoc etiam Daces, etiam fecere Brabanti:
Quin & Teutonicum Flandria fœdus init.
Nescia virtutum sapiens fit Moschia Moschi
Accola: Germanis fœdere iuncta fauet.
Hinc fit nauigijs & pax, & libera ponto
Semita: terrarum nobile constat iter.
Cunctis intererit, minimo quod contigit vni,
Alter vt alterius nomine tutus eat.
Si noceat latro terræ, pirata fluentis;
Sumere præcipitur quilibet arma manu.

Et

Et comites Anzæ quando iunxere seorsim
Concilium, regeis cepit adire timor.
Concilium Cæsar timuit Romanus: abesse
Belligera quod non suspicione ratus.
Quin epulis inter Germania consecrat Anzæ
Pocula: craterem consecrat ipsa meri.
Quando nouus cedit mensa conuiua, Lucullum
Euacuans Anzæ libat amore loci.
Talia persolui socialis præcipit Anzæ
Debita: si renuas soluere, dira facis.
Protinus exerto surget, qui vindicet ense,
Hospes; & hospitij debita iure petet.
Emporijs Anzæ quatuor consistit: aquosas
In Morino Brugas littore Flandeus habet.
Anglia Londinum, Tamesi quod condita propter
Flumen, ad eiusdem munia iuris amat.
Illic Teutonicæ Gildalla relinquitur Anzæ:
Teutonis idcirco dicitur esse domus.
Sarmatis huc etiam Neugardia pertinet: illam
Sarmaticus illustri Russia merce colit.
Inclita Bergarum sociantur mœnia; celsis
Insita Noruegiæ rupibus; apta salo.
Hoc vtinam fœdus superi seruare velitis:
Hoc vtinam nostri sospitet orbis amor.
Posset in integrum res tunc Germana reuerti:
Teutonicis nemo posset obesse plagis.

Héze napp.

Londini in Anglia Teutonicæ Anse domus est, q̃ Gildé halla vocatur.

Maxima

Maxima regnorum teritur fiducia bello:
Ad Superos vadunt pace minora Deos.
Marte cadit, quicquid rerum Natura creauit:
Marte cadit, quicquid terra manere putat.
Excipio luxum, Mars ne suprema nocendi
Caussa sit: à luxu debuit esse sequens.
Scire voles causam? paucis Natura fouetur:
Obsequio gaudens plura requirit honor.
Plurima Gradiuo tribuuntur; plurima liti;
Ingerit hæc populo, regibus ille metum.
Quod superest, luxus stomacho prædatur edaci,
Luxus anhelanti cuncta furore petens.
Luxus dispereat nam parcere nescius vlli:
Dispereat, Liuor Martis: vterque nocet.
Teutona paulatim decrescit motibus Anzæ:
Tota simultatum labe caterua fremit.
Teutoniæ virtus quò nunc antiqua recessit,
Frigidior saxo, languidiorque rosa?
Causa patet: prisci ratio defecit amoris.
Quid superest Anzæ? nomen inane gerit.
Plorat adhuc nullo mœstus solante Sigena,
Teutonicas Anzæ terga dedisse manus.
Eminus aspectat Rhædorum cedere turreis
Rhenus: & ad dextram culmina stare vides.
Hinc vbi Maternus requiescit conditus æde,
Contiguis Rheni læua moratur aquis.

Vt sex, & totidem discessit millia passûm
Bonna, tua solium laudis Agrippa venit.
Nobilis occurrit serpente Colonia Rheno.
Conueniens vrbi nomen Agrippa dedit.
Vrbis ab opposita protenditur insula parte,
Altior: ad dextrum vapulat amne latus. Insula superior.
Altera praeclarae residet vicinior vrbi, Insula inferior.
Infera: sed laeuam fluminis illa tenet.
Vrbs nimium ratione loci veneranda superbit: Amplitudo ciuitatis Coloniensis.
Vrbs nimium pulcro pulcra nitore nitens.
Triginta spatium stadijs metitur & octo,
Circuitus: formam Δέλτα videre facit.
Quinquaginta gradus & se deducit in vnum, Altitudo poli Coloniæ.
Quà procul hinc aequa linea noctis abit.
Ponte bis extructo superauit flumina gressu:
Ponte bis effracto classibus egit iter.
Occidit ex saxo pontem quis struxerit, author:
Sublicio Caesar ponte ligauit aquas.
Sunt quatuor portae, nec non triginta foratis
Moenibus: huc omni fertur ab orbe cohors.
Sed non excipiunt peregrinum singula vulgus
Ostia: non quauis cardine porta patet.
Perpetuo portae clauduntur tempore plures:
Saepe patent plures, quando patere licet.
Et translata locis cernuntur moenia passim:
Inde, quod v... fuerit saepius aucta, liquet.

Ser-

Sortis ad euentum pagi mutantur in vrbes:
Sæpius in pagum desinit vrbis honor.
Creuit in immensum ridente Colonia fato:
In nihilum fati rebus abire potest.
Amoueant fatum Superi: Fortuna serenæ
Obuia sit genti: nesciat esse nocens.
Insita florenti spectantur mœnia vallo:
Fraxinus ex vallo nascitur, alta comis.
Fraxinea tellus quoniam radice ligatur:
Agger & in vallem dirutus ire nequit.
Rheno sicca caret vallis: nec cingere Rhenum
Mœnia, nec Rhenum cingere valla vides.
Sæpius educto tentatum flumine fossis
Cingere valla: graui corruit arte labor.
Aggere sepitur vallis, sed rupibus agger:
In faciem muri saxa coisse reor.
Alcinoi credas illic florere vireta:
Illic Elysij dixeris esse solum.
Delicijs illic Tempe nugantur obortis,
Graminei quando veris imago fauet.
Gaudia lasciuo saltantes vespere curant:
Et Testudineum percutit astra melos.
Ad Citharæ voceis crebrò respondet Aëdon:
Tereos & Gethici crimina deflet auis.
Carmina dum resonant, resonātibus asson... Echo:
Crimine Narcissi cogitur esse ...

Sæpe

Sæpe chorearum peraguntur carmine ductus:
Ad iuuenum ductus sæpe puella salit.
Dulcia saltantes imitantur carmine vocum:
Carmen ad auditum voluere membra libet.
Gaudia tractantur. Quis gaudia dicere possit?
Hic iuuenum voris cuncta placere queunt.
His operam prebent facie Sirenes amica:
Obsequijs quarum nemo carere petit.
In Siculo constat fluctu Sirenas obisse,
Dulichius postquam classe secaret aquas.
Auribus illeuit sociorum fragmina cera:
Restibus astringi prabuit ipse manus.
Dum socij Nymphas spectant, impunè vagantur:
Dulce nec obstructa ludit in aure melos.
Monstra pius vidit, nec non audiuit Vlysses:
Adpositus malo vellet adesse malo.
Sed non iuris erat proprij: quod vocibus aurem
Prebuerit, fati causa fuisse potest.
Sponte fuit captus; malo tentauit abire,
Non potuit: tutum cymba pererrat iter.
Diffugit inuitus nocituræ carmina vocis
Ductor: & Ionij transijt arua maris.
Sic sapiens vocem monstri deuicit Vlysses:
Victor & exacti constitit ipse mali.
Fata sibi spreta condunt Sirenes Vlyssis
Implicito curis interiere salo.

Hæ

Has postlimio lethi quicunque reduxit,
Omnibus exitium retulit omne viris.
Nam reduces letho factæ consueta relinquunt
Aequora: fit tellus æquore grata magis.
Dulcia transcurrunt viridantis gramina terræ:
Ad iuuenum nugas semper abire vacat.
Rem peragunt Litui studijs, Citharaque Chelyq́;:
Organicum poßunt aßimilare melos.
His Thimele cedat risum motura theatro:
Harmonicam victus ponat Apollo Lyram.
Vincitur Amphion cantãdo; vincitur Orpheus:
Phemius arguto desinat ore frui.
Quod poterant omnes, artem quicunque fatentur
Dedalea Siren arte repleta valet.
Quod nemo præstare potest; non Iuppiter axis
Incola non rutilo pulcrior axe Venus:
Illud adulando Sirenum gratia præstat:
Illud Auernali monstra lepore queunt.
Nec faciem monstri, quamuis monstrosa ferantur
Nomina, sed faciem virginis ore ferunt.
Ore ferunt frontem, dux quam miretur Vlyßes;
Cuius in aspectu lumina pascat amans.
Candida laudatur Veneris præstantia formæ:
Priamidæ pomo nobilitata fuit.
Labra pharetrigeræ quis non veneranda Dianæ
Praeferat? an quisquam Pallade maior erit?

Sestia

Sestia Naturæ miraclum præstitit Hero:
Quæ tum virgo die, fœmina nocte fuit:
Dos etiam formæ Thisben commendat. Imago
Nunquid amatori perniciosa viro?
Sigismunda sui iuuenem deuinxit amore:
Pulcra quod hæc nimium, pulcer & ipse foret.
Florentina sui virtute Lucretia vultus,
In vetitos sponsum fecit abire thoros.
Grandia quid paruis æquo? quid præfero parua?
Pectora Sirenum uincere nemo potest.
Virgineas dulci superant sermone puellas:
Perceleri vincunt mobilitate pedum.
Regia splendescunt niueo cum gutture colla:
Torquis & aurato circuit orbe gulam.
Obuia flagrantes ostentant pectora mammæ:
Terga puellari vestit honore comæ.
Brachia dependent humeris; sunt candida: pulcra
Effigiem poßunt exuperare niuis.
Brachia constricto iuuenum sunt retia nexu:
Testis nec fidei dextera semper erit.
Harmonico Diuas simulant coniuncta lepore
Membra: nihil membro labis ineße potest.
Horrida dependet gracili non corpore Pristis:
Crura loco caudæ præbet eburna femur.
Agrippina colunt tales conuiuia Nymphæ:
Delicijs vrbem conciliare solent.

Hæ populi turba vallem ſtipante frequentant:
Incola nec valli charior eſſe poteſt.
Hæ Charites ſecum ducunt, quacunq; vagantur:
Hæ Veneris ductu cuncta ſubire queunt.
Hæ iuuenum turma ducunt præſente choreas:
Hæ ſi defuerint, gaudia nemo feret.
Quæ ſunt Ionium toties audita per æſtum,
Scilicet, hic eadem carmina noſſe datur.
Et quæ Dulichium tenuit præſtantia formæ,
Hic eadem multas illa tenere poteſt.
Talibus æſtatem finire Colonia Nymphis
Adſolet: hæc iuuenum numina vallis habet.
Terra Decembrali ſimulac ardore ligatur,
Clauditur, & nulli peruia vallis hiat.
Hoſpitium Nymphæ mutant: auguſta virorum
Hoſpitium Nymphis tecta patere ſinunt.
Tunc ſolito fallunt hyemem Sirenes amore:
Tunc ſolito mittunt tempus abire ioco.
Tunc abigit fornax, quam Phœbus abegerat ante,
Nec calidis hyemem mittit ineſſe focis.
Tūc medicos homini generāt hypocauſta vaporeis:
Tunc iuueneis inter ſæpe puella lauat.
Aggere pro viridi domum penetralia Nymphæ,
Pro viridi cameram valle latenter habent.
Quis tunc iudicium Chriſti, quis cogitat Orcum?
Pauci, quos rutila cernat in arce Deus.

At

At vos non cameram Studiosi credite Nymphis:
Credite nec valli; toxica vallis alit.
Lanificis aurem nocuit præbere puellis:
Fœlix, qui surda præterit aure dolos.
Et Culicem telis apprendit Aranea; piscem
Vimine piscator; fœmina fronte virum.
Ne vetitam cernant, oculos auerte, choream:
Qui fugit ex oculis, pectora linquit amor.
Obuia Sirenum labijs qui basia confert,
Materiam diri semper amoris alit.
Quanta viro moles hinc sit ventura pericli,
Omnis amatorum scena docere potest.
Nam Veneri parere, thoros fœdare, malorum
Ilias est; theatri lusus; & ira Dei.
Virgineo quoniam tegitur Basiliscus amore:
Et non mens veluti forma nitere solet.
Scrinea riuarum Nymphae, & retia vitæ,
Et iuuenum sordes setq; superq; dedi.
Quà subit vrbs Rhenum, sinuato flectitur arcu,
Crescit vbi, qualem Luna referre potest.
Tot quoq; tēpla, dies quot in anno cōspicis, extāt.
Præ reliquis templum claret honore Petri.
Innumeris testudo iacet fulcita columnis:
Effigies templi semiparata manet.
Sarta chori frons est: hic non fragmenta videntur:
Vndiq; saxosus culmina nubit apex.

Inferior iuxta turrim testudo leuatur
Lignea: sed lapidum stipite ligna iacent.
Fundamenta iacent hominum maiora labore,
A Labyrinthæo non aliena situ.
Vix media vertex turri suspectat Olympum:
Vix media turris parte leuata sedet.
Vertice debebat praecelso scandere cœlos;
Vertice vix aliquo suspicit astra poli.
Ardua nec turrim perhibetur tendere cuspis:
Aeditior turri cuspis adesse nequit.
Machina colloso transuersim gutture flexa:
Machina Strymoniæ continet ora gruis.
Hac apicem scandit tenui velata metallo:
Cuspide pro gracili rudera turris obit.
Vasta cathenati demittit pondera restis:
Pondera debuerant tollere saxa solo:
Ensifer hac ales coleret fastigia semper:
Ensifer hac ales scandere tecta negat.
Angelus expectat perfecta secula turris:
Angelus haud turri nomina ferre potest.
Gaudeat hoc moles Adriani nomine tantum:
Ensifer in cuius vertice pila gerit.
Si colophon templo limam fecisset adesse:
Clarius hoc nullum diceret author opus.
Constantinopolin Sophiæ delubra laterent:
Nec Venetus Marci templa notaret apex.

Quin-

Quinetiam templi Petrus damnaret honorem,
Aurea quem montis vertice Roma colit.
Cur adeò templum Stephani mirare Vienna?
An Stephani templum cuncta referre putem?
Petrus Agrippinæ sperni delubra videret
Omnia, si culto surgeret ipse situ.
Fana sed hæc toto fieri non margine sarta,
Non fieri multo culta labore queunt.
Ast opus est stultum, nostro quod grandius ausu
Officio neruos debilitante premit.
Posterior cessit quamuis non addita templo
Lima; tamen Diuo claret honore locus.
Ante chori frontem quà Sol exurgit Eôo,
Quâ reducem pulcro reddit amore diem;
Treis ibi sub trino tumulantur tegmine Reges,
Quos docuit Christi stella subire casam.
Qui tumulum carnis crebrò mutare coacti,
Hîc stabili semper pace sepulcra tenent.
Hîc vt ad amissæ repetantur tegmina carnis,
Cùm fixo steterit cardine Mundus; erit.
Nulla carent illic tumulis delubra, Deorum:
Nulla patrocinio Numinis ara vacat.
Ista nec Superi tantùm laudantur in æde:
Est alijs etiam templa videre locis.
Hæc quo debuerant dici, non ordine dicam:
Cuncta nec ad numerum tradere tẽpla libet.

Corpora Gerionis socio cum milite strata
In testudinea continet æde tholus.
Aede Seuerinus nitida conscendit in Austrum:
In Boreæ tractum sed Conibertus abit.
Hi promontorijs exceptant obuia Rheni
Ostia; ne ripam fluminis ira terat.
Exurgit triplici Martinus cuspide maior:
Sed minor ex vna suspicit astra poli.
Claret Apostolici templum pietate Senatus.
Soluit Ioanni cultor vtriq; precem.
Aspicit Andreæ delubrum culmina Pauli.
Hoc igitur possum mira referre loco.
Doctus Agrippinæ fuerat Iudæus; auitam
Deposita liquit suspicione fidem.
Patria prætextu pietatis dogmata spreuit:
Propterea Christi dulce subiuit onus.
Crimina Naturæ Baptismi diluit vnda:
Fictitia Lympham relligìone tulit.
Plurimus astabat tota susceptor ab vrbe:
Plurimus & fidei testis in vrbe fuit.
Mente quidem Iudæus erat: desertor auitæ
Legis; & æterni transfuga Mosis erat.
In Domini legem falsò iurârat Iesu
Nomine: vox fidei dissita corde fuit.
Trânsfugium sæuo precij mercatus amore:
Crediderat stultè cuncta latere Deum.

Id sceleris cernit nemo: laudatur Apellæ
Integritas: nemo falsa subesse putat.
Fallitur occultis Ecclesia; fallitur orbis:
Numina cœlorum ludere nemo potest.
Transfuga secretis imponit ritibus vrbi
Verpus: & externo prædicat ore Deum.
Temporis interea dum viueret, accola templi;
Accola Paulinæ, suspicor, adus erat.
Ecce Catum pauit caueæ; pauitq́; Molossum:
Diuiduis animal clausit vtrunq; locis.
Bruta velut rebus domini pergrata fuêre;
Sic domini rebus digna fuêre sui.
Verpus auaritia poterat superare Molossum,
Composita vicit calliditate Catum.
Pensa nouercantis tandem suprema senectæ
Attigerat; tandem fata dedêre mori.
Aeger erat, morbo carnem depastus edaci:
Iam moriens Christo numen inesse negat.
Ex postliminio reuocat Iudæus auita
Dogmata: Iudæi dogmata Mosis init.
Quod latuit dura vitium ceruice fatetur:
Nostram sacrilego conficit ore Crucem.
Id faceret quare iussus narrare, ferebat:
A famulo brutum iussit vtrunq; dari.
Carcere desumpsit Felem, quo clauserat antè
Seruulus: & cauea liberat inde canem.

Alter it allatum, tenuit quos carcere Murem,
Et Leporem: domino sistit vtrunq; suo.
Ad domini lectum famulus procedit vterq;:
Et, quæ iussus erat ducere bruta, tenet.
Prodidit exemplo Iudæus crimina vitæ:
Singula mittendo currere bruta iubet.
Hanc fuerant plures rem qui spectare pararent.
Hinc famulus Felem protulit; inde Canem.
Alter & apprensum famulus dat currere Murem:
Et Leporem clausa fecit abire domo.
Quatruor inuerso discurrunt ordine bruta:
Degener exemplum cernere Verpus amat.
Arripuit prensa Leporem ceruice Molossus:
Concitus in Murem turbine Felis abit.
Dente Canis Leporem discindit auarus iniquo:
Corpore Mus lacero fertur in ora Cati.
Scena foret finem simulac sortita cruentum,
Ad populos tali fatur Apella modo:
Quando Lepus versa rapiat virtute Molossum;
Mus simulac Felem vincat; vtroq; minor:
Cultor ero vestri, quem nunc insector, Iesu:
Mosis & edicto viuere fessus ero.
Quamue diu vigeat Natura potentior arte,
Totus in Hebrææ fœdera gentis eo.
Sic loquitur: quassat subito correpta dolore
Pectora: sacrilego spiritus ore fugit.

Impius

Impius horrendo permutat funere vitam:
Horribili dirus morte domatur homo.
Morte quid horrenda grauius censetur in orbe?
Mors animam Diti mancipat; oßa luto.
Nobile succedens exemplum protulit ætas:
Cuius apud Paulum signa videre licet.
Aereus excelso portarum vertice seruus
Suspicitur; brutum gestat vtrunque manu.
Historiam dixi: quamuis horrenda videtur,
Perfidiam signat gentis Iuda tuæ.
Ad reliquos cogor Superum transire penateis.
Mauritij sedem præterijße vetor.
Hîc Albanus; ibi monstrat delubra Iacobus:
Ipse Columbano pastor honore nitet.
Caßide conspicuus teretique Georgius hasta
Ante trucidati colla Draconis ouat.
Impositus crati ridet Laurentius ignem:
Montis in accliui visitur ille iugo.
Hîc Machabæorum populus delubra frequentat.
Pantaleon vrbis fine remotus abit.
Riuus ibi portæ tribuit cognomina: riuus
Alueolo vicos luxuriante rigat.
Commoda tot plebi præstãs, quot Claudia Romæ
Vnda; quot ægroto Virginis humor aquæ.
Hîc etiam virgo gentis regina Britanæ
Vrsula cum socijs vulnere strata iacet.

Sanguineæ clades nomen sortita plateæ,
Virgineæ famam cadis obire vetat.
Et Lupus, & pulcra celebratur Margaris æde:
Punicus & nitida Præsul in æde docet.
Nobilis hîc placidum Carthusia viuere præbet.
Incola Carmeli laudibus astra ferit.
Ad Capitolinas cur non diuerto puellas?
Debúeram reliquis præposuisse locum.
Nam locus Ausoniæ simulat Capitolia gentis:
Templa monastera iure probata facit.
Ornat virgineo symphonia carmine templum:
Virgineæ gestit voce Maria coli.
Sicaniæ refert Agathes delubra referre.
Candida Gartrudis dicere templa iuuat.
In nitidis Arctoa sedet Brigida sacellis:
Magdalis in templo stupra flet ante Deum.
Clara facit cultu templum clarere pudico:
Claruit ipsa domi; claruit ipsa foris.
Nobilis in templo stat Costi filia regis:
Ad Mariæ colitur virgo Maria gradus.
Omnia Diuorum meditor si dicere templa,
Omnia Diuorum dicere templa vetor.
Nomina plebeis deducit Curia curis:
Curia curarum mater in vrbe viget.
Illa Senatorum vigili discreta labore;
Eximium præbet turre leuata caput.

Hæ

Hac celebrem celebri retinet grauitate Senatum,
Principe terrarum qualis in vrbe fuit.
Qualis erat, Pirrho Romam terrente senatus;
Quem Ducis Orator credidit esse Deum.
Iura Politeia seruat Romana senator:
Ausonio Consul fasce verendus abit.
Incola prudenti meditatur singula sensu:
Incola veloci callidus arte sapit.
Magnifici turba rutilant mirante penates:
Regia non vno visitur aula loco.
Aequa platearum series aequatur amussi.
Ordine quid pulcro pulcrius esse rear?
Augustas procerum testantur singula vireis?
Vix numeros rerum Nestor inire queat.
Vrbs valet emporio: mercem quia distrahit aere:
Hac Venetas etiam merce parauit opeis.
Callida venales numorum retia merceis
Venditor in triplici distrahit ipse foro.
Nubifer hic alto Parnassus vertice surgit:
Pegaseis passim labra rigantur aquis.
Vis Academeiae floret Diuina: Lyceium
Disputat: abstrusa Porticus arte tumet.
Scripta patrum clarent: patres virtute decori
Historica Christum relligione probant.
Haec sunt parua quidem: non vrbs desciuit ab ipso
Versa fide: semper cuius amica fuit.

Hoc

Hoc opus, hic labor est, quid profuit omnia nosse
Hæretica tandem cognitione mori?
Gymnasium Medica celebrat ratione Galenus:
Gymnasium Iuri cedit vtrique locum.
Quicquid Mercurius Pœmandro dictitat Hermes,
Quicquid ab Orphæo prouenit ore, vides.
Aglaophemus adest animi ratione profundus:
Pythagoras numeri lege profundus adest:
Omnibus inseruit Philolai pagina Musis:
Magnifici numen Musa Platonis amat.
Hîc quod Carneades diuerso iactitat ore,
Hîc quod Aristoteles monstrat, habere potes.
Nil varians vrbi patitur Natura deesse:
Vrbs nequit hac ideo clarior vrbe dari.
Ciuibus imperium Voringia contulit vrbis.
Vrbs placida legem pace quieta colit.
Adde, quod vrbs nullo ruerit discordia motu:
Adde, quod aucto fœdera Marte velit.
Concita discordi quamuis Respublica lite
Crebrò, tamen belli fine soluta fuit.
Seditio ciueis quanquam plebeia grauarit:
Pernicies quanquam litigiosa foret:
Illa tamen cessit vigili correcta senatu:
Hæc posito cessit Marte, nociua parum.
Non sic imperium solidatur glutine pacis,
Vt studium rixæ semper abesse velit.

Dissi-

Dissidium crebrò vulgare Colonia mouit:
Dissidium crebrò fecit abire foras.
Historiam narrare iuuat: narremus eandem,
Qua procereis templi constat adisse crucem.
Porta crucis formam veluti sortita probrosa,
Sic eadem Cleri nomen adepta fuit.
Clerus Agrippinam statuit nudare tributis
Insolitis: magno iura rigore tulit.
Prouidus obstabat primo mox tempore ciuis:
Pectore non æquo moriger esse tulit.
Quisque fugit Cleri fasceis: labente recusat
Impositum collo sustinuisse iugum.
Res venit ad bellum: dirimi res nescia bello:
Imperium parteis inter vtrasque gemit.
Quid non seditio designat pronuba Martis?
Pronuba militiæ destruit ira fidem.
Destruit exploso sociorum fœdere mentes:
Perpetua parteis anxietate ligat.
Pars abijt tanto victrix discrimine neutra:
Vinci neutra tulit; vincere neutra potest.
Iustitium tollit iuris decreta: tribunal
Labitur: armata militat vrbe forum.
Ventilat ambiguo victoria cardine belli:
Hinc vehemens pacem caussa subinde facit.
Dum stolidi fiunt sumptus; fecisse periclum
Dum nocet; arcta domi cautio bella premit.

Quod

Quod stipulæ flammis, hoc bello munera prosunt:
Militiam gratis nemo subire cupit.
Dissidium mendax ludit ciuile simultas:
Et facies solito lætior vrbis agit.
Vulgus amat pacem; Cleri firmatur amore:
Pax proceres inter firma manere nequit.
Non mansura diu magnates fœdera curant:
Tollere pax odium stirpitus ægra negat.
Ecce duo templi fuerant maioris in æde:
Grande quibus nomen fecit inesse canon.
Hi vomitu produnt odium; differre grauantur:
Propositum mentis caussa licere facit.
Proditio caussam cunctis inuisa, peregit;
Proditio dominis exitiosa suis.
Indigenas templi sic non egisse decebat;
Officio quorum statque caditque fides.
Et tunc Harminius fuerat præclarus in vrbe:
Nomine Grinæus, munere Consul erat.
Regia Grinæum proceres ad prandia ducunt:
Hostis ad occulti prandia Consul abit.
In camera fuluum soliti nutrire leonem
Tum proceres: voluunt damna leonis ope.
Mite fuit brutum: sed nunc sæuire docetur:
Esuries sæuum quattriduana facit.
Hostis vbi Consul subijt, non hospitis aulam,
Comiter hostis adest, comiter hospes adest.

Mitia ridendo sociant in fœdera dextras.
Quid poterit ficto peius amore dari?
Dum conuiua nihil credit restare malorum:
Dum proceres falsi suspicione carent:
Aptior exitij nequijt conditio fingi:
Proditor euoluit tempore digna suo.
Quos habuit secum patitur Grinæus abire
A pedibus: fati credit obesse nihil.
Omnia succedunt fausto iam cardine vota
Hostibus: apta viam destinat hora malis.
Dum præstolatur ieiuno prandia ventre
Consul, adornati præda leonis erit.
Rebus ad effectum venissent omnia gestis,
Ni Deus ex supera cerneret arce suos.
Ecce viritim nullo proceres misere tumultu
In loca, quæ rapido possidet ore Leo.
Mox validis isti frenant occlusa repaglis
Ostia, ne reduci detur ab hoste fuga.
Ex camera postquam Consul tentaret abire,
Obice præclusum ianua fecit iter.
Se simulac captum delusum sentijt iri,
Perfidia tantum rebus inesse dolet.
Et quæ non poterat prænosse pericula, sentit:
Et quæ non timuit funera, præsto videt.
Ille Deo caussas, & se committit eidem:
Ille sua credit robur inesse manu.

Qui

Qui potuit vita tumidus florente videri,
Compulit audacem funeris esse timor.
Est aliquid spectare necem, spectare leonis
Robur: & indignis voluere damna modis.
Prandia veloci damnabat pectore consul.
Bestia Vandalico sæuius hoste furit.
Consilij tempus nec iam Fortuna reliquit:
Vincere vel vinci temporis ansa monet.
Omnis in auxilio iam constitit anchora Christi:
Quod superest, animi credidit esse sui.
Eripuit tergo, quod tum mantile gerebat;
In celereis illud fecit abire globos.
Dum mouet insultus, patulo dum proruit ore
Bestia, Grinæus torsit in ora togam.
Voluit in ore togam; nec non violentius instat.
Halitus occluso concutit ore pecus.
Diuiduum sica guttur terebrante resoluit
Consul: & audaci perfodit arte gulam.
Bestia præsentit bipatenti vulnera collo:
Bestia succiduo procidit acta pede.
Palpitat: ægroto rugitum murmure fingit:
Et cruor & lacero spiritus ore fluit
E medio vitam simulac sublata dedisset
Bestia, quid poterat lætius esse viro?
Nec cito lætatur, citius nec pectore fatum
Expulit: albenti pallor in ore manet.

Cor-

Corda pauēt distracta metu, iam proxima morti:
Vix speciem certæ corda salutis habent.
Sic fugitiua metum nescit vitare columba,
Accipitris postquam dente reuulsa latet.
Cerua canum rictu quamuis educta feratur,
A laqueo quamuis tuta, pauore tremit.
Ceu, Boreas rapidum simulac desæuit in æquor,
Non citò, sed tandem detumet ira maris.
Ceu quoq;, depositis clypeo Gradiuus & hasta,
Momento furias exuperare nequit:
Sic nequijt Consul subito frenare timorem:
Horret adhuc: hostem victor adesse putat.
Et tandem sese, tandem miratur & hostem:
Et gelido sensim pallor ab ore fugit.
Tam citò miratur lachrymas in gaudia verti:
Tam citò mutari tristia posse uotat.
Terror abisset vbi subito perrexit ad hostem:
Calce ferit: sæui terga leonis obit.
Inde leonina ferrum ceruice reuulsit,
Insuit euulsum pellibus: arma tegit.
Callidus expendit secum, quî cedere tectis,
Quî procerum dura posset abire manu.
Consilium Fortuna dabat: firmata capistris
Ostia præcludit firmius: aptat iter.
Aedita scandebat camerata culmina sedis:
Iam pede, iam gemina nititur ire manu.

Vincitur aſcenſu paries: quæ luminat intrà
Fracta graui tribuit mole feneſtra viam.
Deſiluit victor: tacitè prolapſus abiuit.
Mox procereis laqueo iuſsit vtroſq; capi.
Quem periiſſe rati fuerant, capiuntur ab illo.
Conſcius heu ſcelerum polluit ora rubor.
Horrida productos damnat ſententia letho:
Promeritæ Iudex tradit vtrunq; cruci.
Protinus eliſo mulctati gutture vitam
Deſtituunt: porta reſtis vtrunq; leuat.
In quam ſic ſubeunt mors eſt præpoſtera furis:
Nec ſic furis erat pœna, latronis erat.
Cum cane non ſerpens, cum gallo ſimius eſſe,
Eſſe ſat ad pœnam culeus ipſe nequit.
Culpa nec exolui Gyaris, nec carcere quiuit:
Nec ſceleris labem flamma piare valet.
Impia commiſſo leuior fit crimine pœna:
Criminis effectu culpa nec aucta fuit.
Sunt animo ſontes, quanquam Fortuna repugnet:
Crimina conſenſu ſufficit eſſe data.
Mitior errati ceſſit cenſura: nec obſtat
Legibus: haud æquè talio ſemper obeſt.
Iura magiſtratus ſummo ſancita cruore
Sæpe leuat: quamuis iura rigore fremunt.
Hos agit in furcam non lex, aſt gratia legis:
Annuit hæc tumulum furibus; illa negat.
Et

Et ratio stirpis culpam mutauit vtriq;
In melius: tumuli cepit vterq; decus.
Porta nec amisit veteris signacula facti:
Porta sacerdotum morte notata venit.
Nec procul à Petri templo stant rudera muri:
Saxeus è muro suspicit astra Leo.
Hîc cameram dicunt, in qua Grinaeus obiret:
Hîc procerum monstrat tecta fuisse locus.
Sed iam nec camerae restant, nec rudera tecti:
Area murorum sepibus ipsa latet.
Eruta fastorum repetantur secula scriptis,
Nemo Colonorum sceptra ruisse leget.
Prorsus Agrippinae perijt Respublica nondum,
Ex postliminio saepe reuersa, mali.
Quamuis abstulerit Susatum Cliuia; quamuis
Sit Burgundionum Nussia clade potens:
Vrbs tamen hunc inter motum non diruta cessit:
Perstat adhuc: necdum fracta manere potest.
Cultor Agrippinae quantum distare Mosella Epilogus libri Quarti.
Dicitur, in medium dicere causa iubet:
Quattuor accedant viginti millia passûm,
Et totidem: spatio fiet vtrinq; satis.
Nec diuertigijs seducitur ambitus vndae:
Regula dimensae clarior ergo viae.

Finis libri Quarti.

LIBER RHENI QVINTVS A TVITIO, QVOD E REGIONE VRBIS est Agrippinæ, vſq; Veſaliam inferiorem, vbi Rheni & Lippiæ fluminum eſt confluens, deductus.

ARGVMENTVM IN LIBRVM RHEni Quintum, à Colonia vſque Veſaliam inferiorem.

RHenus à dextris pagum habet Mollemiã: à ſiniſtris oblongam facit inſulam prope ripam: inferius eadem parte Neliam pagum, proximè Marconiũ habet: à dextris Duneum fl. excipit. habet præterea à ſiniſtris pagum Langeã, Hittorpum à dextris: fluuium eadem parte Viperam accipit; qui iuxta Viperfurdũ & arcem Bienburgum lapſus, perq; valles Elueraueldanas fuſus, ſeſe Rheno tã dem committit. Rhenus verò à dextris præter-

præterfluit Rhintorpiam, à ſiniſtris Voringiam Reipub. Coloniēſis prælio nobilem.

Inter Coloniam & Voringiam nouē ſunt mille paſſus.

Rhenus Monhemium à dextris, Suntinam à ſiniſtris proximè alluit. à dextris pagum Cœli Spiritum, à ſiniſtris Olſenum & Grimelinchuſum pagos habet: eadem parte Eructum flu. accipit, qui Tarbellia ſiue Italia exortus, Lechnicū, Carpenā, Bergomum, Caſteram & Mōtem Aquilinum alluens, à ſiniſtris eminus relinquit ſaltum, qui dicitur Comitis: inde accepto fluuio, qui Fletus dicitur ſupra Nueſium Rheno cōmiſcetur. Rhenus verò longè lateque diffuſus pagum habet à dextris, qui vocatur ad Saxum: inde nonnihil remotum à ſiniſtris opp. habet Nueſium, ſed tamen foſſa deducta ciuitatē alluit. habet ibi Rhenus in latitudine mille & trecentos circiter pedes. Oppidum alluit Duſſeldorpium à dextris, fluuiumq; ibi Duſelā accipit. Diſtat Nueſio Duſſeldorpium decem

ſtadijs & ſex.

Inter Voringiam & Duſſeldorpium ſunt centum ſtadia.

Rhenus opp. à ſiniſtris habet Keiſerſuuerdt, Traiani, ceu putant, Coloniã.

Inter Duſſeldorpium & Traiani Coloniam quatuor mille paſſus:

Non procul à Rheni ſiniſtris Gelduba, præclarũ quondam opp. iam Gelb, pagus eſt, è regione arcis Lien. Rhenus dum cõtinuo labitur curſu, à dextris longiſsimè Cruisburgum præterit: inſulam facit exiguã; à dextris pagum alluit Vitleriam; à ſiniſtris opp. habet Ordineum.

A Colonia Traiana vſq; Ordineum ſunt quadraginta ſtadia.

Rhenus à ſiniſtris habet altã Butbergam, Frimarſenium, Morſani principis arcem in inſula: à dextris Angerordum arcem, & Angeram flu habet: à ſiniſtris pagum Eimericum; ibiq; facit inſulam. Rhenus mutando hîc ſępius alueum ſuum, Aſciburgiũ ex dextra, in ſiniſtram ſudit; vbi adhuc iuxta Aſſchẽburg, ſiue Aſſcerã veteris aluei veſtigia cernuntur

locis

locis pasſim paludoſis. Rhenus foſſa deducta accedit opp. Duiſburgũ à dextris, antea quod Rheno proximũ extiterat, iam remotiſsimè diſtat.

Inter Ordineũ & Duisburgum ſunt ſex mille paſſus.

Rhenus Rurordum eadem parte perexiguũ, ſed pulcherrimum, alluit oppidum, flumenque Ruram ibi excipit validiſsimum. Rura autem naſcitur ex montibus Abnobicis; non procul à Vuinterberga: inter valles ſtrepero ſemper curſu reſonat: præclara paſsim flu. digerit. Apud Oſtuicũ capit fl. Valmã, apud Meſſchedã habet fl. Hennã, apud Vriennolam habet Vẽnam, apud Vredenburgũ accipit Honnam, Lenã fl. infra caſtrũ Sigemburg, ſiue Siburg: vbi & Sicambrorum manet appellatio. Lena verò apud Vuitikinſtein naſcitur, Smallẽburgum opp. alluit, apud Bobennolam amne Bicha accepto, vſq; Suuertenbroick caſtrũ deflectit, Limburgum alluens, infra Siburg miſcetur Ruræ. Rura verò apud Huſtænam habet Roram fl. infra arcem

Volmenſtein è regione montis Cęſarei, iam dirutam, ſpectrisque famoſam Volma fl. Ruræ commiſcetur. Volma verò non procul à monaſterio Giuelsbergo Hennæpam flu. habet, quo cum influit Rurã. Circa Nehæmum oppidum Mona influit Ruram. Mona autem fl. colle quodam abſorptus arenoſo, planè totus ſub terras cadit, tãdem actis redit cuniculis, ſolitum continuans alueum, donec Rurę dedatur. Mona quoque antequam dedatur Ruræ, capit flu. Veiſteram, qui dicitur nunquam glacie indurari, ſemper verò tepeſcere. Rura præterea multa alluit oppida, caſtra & pagos. Alluit enim Vuinterbergam, Meſſchædam, Aquilæ montem, Suuertinã Marchię oppidum, Sicamburgum, Hardicũ, Cęſaris montem, Volmenſtein, Vuetterenia monaſteriũ, per Tencteros, Hattingum, Catuicum, Mollemum, Duiſburgum, & Rurordum: inde Rhenum influit. Rhenus aũt dum pergit à dextris Emſcerum habet fl. eadem parte arcem in der Knipen, à lœua pagum Alen habet,

bet, à dextris pagum Vualtzen præterit.

A Duiſburgo vſq; Vualtzen quauor millia paſſuum.

Rhenus proinde ſubit Orſenium à lœua, Berichium nec non Burichiũ oppida eadem parte. Inde Veſaliam à dextris inferiorem foſſa alluit: ibiq; flumen Lippiam digerit. Lippia autem præclarũ flumen in Bructeris naſcitur, ſub caſtro Lipſpringæ. Quamuis non deſint, qui credant Lippiam prius oriri, ex fonte reſono, quem accolæ appellãt Bullerborn qui ſtatis horis ſeſe ſic terris immittit, ſub fruticanti quodam tumulo, vt planè nudam relinquat aream, vbi hiatu totus immerſus, reſonat; tandem redit, & priſtinam recuperat ſtationem. Accolæ dicunt, nec dũ probarunt, hoc ex fonte reſono Lippiam prægigni. Certũ eſt Lippiam ſub Lipſpringa naſci: qui ab ortu ſtatim facit inſulam. Diſtat à fonte Lippiæ fons Amaſis quadraginta ſtadijs verſus Septẽtrionem; inter vtroſq; fontes Dalbrugę ſunt; in quibus locis multa Varianę cladis veſtigia adhuc ſpectãtur. Saltus

adhuc restat Teutobrugensis (cuius apud Tacitũ fit mentio) apud villã Teutonis, vulgariter Teuten meier. Montesq; statim qui attolluntur, crebris sic hiant vallibus, vt reuera locus iste saltuosus sit. Pertinent aũt hi saltus ad mõtes Abnobicos, in primis ad eos, qui in Vuestualia sunt, & ab arce Teutburgensi Teclenburgiaci dicũtur, & ab Iburgo Iburgiaci, qui versus ortum sunt: hi montes Dalbrugas à Borea & Oriente claudũt, postea sese Hassiacis commiscent, in vniuersum omnes, vt antea dictum, Abnobici vocantur. Restat adhuc in Dalbrugis locus, qui dicitur Campus victoriæ, dath Vuindt veldt: eò quod ibi victoriã Varo Quintilio & trib. Romanorũ legionibus Harminius Cheruscorum dux obtinuerit. Restat adhuc riuus roseus, de Roede Becke, quod nomen riuo inditũ ab aquis Romano infectis sanguine: effodiũtur locis passim glebosis cranea hominum dissecta, & pila Romanorum rubigine obducta. Eum locũ ab ortu, vt dictum est, saltuosi montes, ab Austro

Lippia

Lippia, ab Arcturo Amasis includūt, ad Zephyrum Glenna qui dextram Lippię influit. harum rerum in carmine prolixa traditur enarratio, & diuersa Bructerorum vestigia, & diuersæ notantur appellationes.

A Vualtzem vsque Vesaliam inferiorem centum sunt stadia. Inter Coloniā & Vesaliam sunt quadringenta stadia & vigintiquatuor: quę faciunt decem & tria miliaria Germanorum communia, & octo stadia.

INgenio grauior discede Colonia nostro.
In calamum Quintus pergat abire liber.
Vbia transmisso dicantur flumine castra:
Teutonis opposito cernitur orbe plaga.
Amnis habet dextram tellure Tuiscion alta.
Hac genitor sedeis vrbe Tuisco refert.
Condita fatotum minuuntur singula lege;
Vrbs stetit hîc,pagi rudera vilis habet.
Obruta disiecto murorum fragmine vallis:
Vix aliquo referunt valla tumore situm.
Si qua sit in senio laus,quam miremur,honore
Non patitur senij Fama perire locum.
Struxit Hereberto senior delubra vetustas:
Ad Superos templi massa leuatur humo.
Summa rotundato stringuntur acumine tecta:
Testudo facili stat laqueata pede.
Pantheon hic esset,tectum si pressius esset,
Si media tecti parte pateret apex.
Machina conuexi testudine nititur æqua:
Angulus & toto nescit in orbe dari.
Non teretes ergo gestant delubra columnæ:
Sed paries tectum gestat inane,nitens.
Omnia curuantur;sed non curuantur in arcum:
In speciem cœli cuncta leuantur humo.
Firma sui nondum iuris decreta reliquit
Oppidulum;quamuis multa perisse sciat.

Rhe-

Rhenus it: ad dextram Mollemia fluminis extat.
Exiguo vicum signat honore locus.
Insula producto spatiatur limine parua:
Eminet ad læuam longa; sed arcta situ.
Alueus hanc stricto seiungit gurgite ripis,
Alueus Euripi brachia more facit.
Fluminis ad læuam protendit Nelia fauces:
Hac & Marconium culmina parte leuat.
Duneus educit Dunano flumina saltu:
Fluminis hunc Rheni dextera iungit aquis:
Langea conspicitur, stans margine Langea læuo.
Fluminis Huttorpum dextera vile gerit.
Vipera Vipfurdo; nec non diuersus ab arce,
Arce Biunburgi nomen habente, venit.
Elueraueldana fœcundat gramina vallis;
Hunc domitis Rheni dextra recondit aquis.
Inferius paulò fertur Rhindorpia Rheni
Pagus, amat Rheni dextra vocare locum.
Occupat aduerso Voringia margine Rhenum:
Cæsareas humili ridet honore domos.
Ne pereat mensura situs; discescit Agrippæ
Mansio mille nouem passibus acta retro.
Monhemium pagi quamuis vilescat honore,
Dextra tamen Rheni gestit adire labra.
Duromagum cedit veluti Suntina sinistris:
Vlpia nec legio constitit inde procul.

Diruta cernuntur veteris vestigia Rheni,
Classis vbi stabat, terra refundit agros.
Annulus excelso murorum vertice pendet;
Quo solitus cymbam nauta ligare fuit.
Vrbs (fateor) ratione loci speciosa videtur:
Delicijs Rheni digna carere minus.
Dusselа defertur proprij sub nominis vrbem:
Excipit hunc Rheni dextera: flumen amat.
Dissidet hoc stadijs Voringia flumine centum:
Dissidet hinc pedibus Nussia mille decem.
Vrbs est; Caesareo deducit ab hospite nomen,
Si non Caesareo nomen ab ense capit.
Traiani fuerat quandoque Colonia Diui:
Tunc vrbs: iam lacera rudera sedis habet.
Omnia mutantur: vicus iam cernitur esse.
Passibus hinc refugit Dussela mille quater.
In miseris pauper latitat Gelduba ruinis:
Eminus ad lœuam fluminis illa stetit.
Dicitur arctato Gelbis iam nomine: firma
Contigua pagum parte Liana videt:
Longius abscedit Cruisburgo dextera Rheni.
Hic ex diuiduis insula surgit aquis.
Possidet angusto Vuitleria culmine dextram:
Margo sed Ordinei mœnia lœuus habet.
Ordineum sedes remouet Traiana recuruo
Limite; iam fluuij circulus auget iter.

Mille

Mille quadraginta totidemque Colonia palmis
Dissidet: adiungas millia quinque pedum.
Præterit obliquo Butergum flumine Rhenus:
Et latus ad lœuum cernere tecta potest.
Inde Frimarsenum, Morsani sustinet inde
Præsidium: lœua spectat vtrunque manu.
Arce sub Angordo prouoluitur Angera: dextram
Alueolo Rheni liberiore subit.
Emericum lœua Rheni tellure leuatur.
Insula disiecto protinus amne venit.
Asciburgiacæ simulacrum continet vrbis
Aßchera: sed lœuum continet illa latus.
Transfuga seducto mutauit flumine greßum
Rhenus: adhuc priscæ foßa notatur aquæ.
Ergo fit ad lœuam transferri sæpius arua,
Quæ prius ad dextrum fuderat nuda latus.
Paßibus Ordineum Duisburgo mille recedit:
Addito viginti millia quinque pedum.
Mœnia Duisburgi dempto iam flumine spernit
Rhenus: & offenso degener amne fugit.
Quas igitur vindex turbæ Natura negauit,
Turba sibi demptas arte reduxit aquas.
Foßa labris Rheni longo deducta meatu,
Exiguas vrbi mittit adeße scaphas.
Antea sublimes adierunt mœnia cymbæ:
Vix grauidas potuit ripa tuliße rateis.

Tum

Tum fuerat, pauper vix vt mercator adesset,
Emporij fœlix commoditate forum.
Omnia mutato fatorum cardine versa:
Omnia subducto perdidit amne locus.
Hastiacis fontem simulac eduxit Abnobis
Altisonus Rhenum Rura fatigat aquis. Descriptio Rura.
Curuus abit flexu, veluti Mæandros, adunco:
Orbiflui inter saxa rotatur equis.
Quàm subito Mœdus fluxu defertur Hydaspes,
Tam subitò labi Rura furore solet.
Præcipiti semper scopulo decurrit abactus:
Præcipiti semper valle coactus abit.
Instar Pantagiæ, vasto dum curreret amne,
Passibus audiri flumina mille queunt.
Defluit æterno Cataracten turbine Nili
Rura facit: nunquam st͏are quietus amat.
Adde, scatet monstris; passim monstrosa relinquit
Mœnia monstrosus nomine Rura suò.
Nobilium prima steterant ætate penates:
Ad geminum ripæ tecta stetère latus.
Ditia castrenses spectabant flumina muri:
Mansio tum fuerat principe digna viro.
Ex domibus postquam domini speleia latronum
Efficerent: postquam latro praeesset aquis:
Deposito frontem vertit Fortuna fauore:
Tutus & in tuto desijt esse locus:

O Quiri=

Quinetiam Cæsar multas victrice subegit
Clade domos: victo diruit hoste loca.
Culmina restitui vetuit scelerata: nec vllo
Diruta restitui tempore castra queunt.
Omnia labuntur. Validæ quis fideret arci?
Arx sceleri caußam firma subinde dedit.
Illa potestati fidens peccata licere
Cuncta putat: votis cuncta subeße putat.
Omnia contemnens fastidit Cæsaris iram:
Imperio credit iuris ineße nihil.
Sed qui constituit vano non omine regna,
Regna sub edomito vindicat hoste Deus.
Optima defendit contempti munia regis,
Cuius in imperio munia regis agunt.
Ipse Dei fato rex dum censetur oriri,
Emerito fati iure ferendus erit.
Si bonus existat, Supero procedit ab axe:
Si malus; id sæua crimina plebis agunt.
Imperium spernat prænobilis incola castri:
Aestimet egregia firmius arce nihil:
Victor vt excelsa Dominus pugnârit ab arce,
Aßeret imperium iure, quod hostis init.
Tunc scelus ac vno punitur iudice castrum.
Quæ sceleris caußam tecta dedêre ruunt.
Barbarie quamuis valeat fulcita Cyclopum
Impietas, nulli salua manere potest.

Sufficit

Sufficit exemplum Ruræ: nam cogitur amnis
Impia sacrilego ducere monstra lacu.
Nil Ruram peccaße putas? deliquit eodem,
Accola quo meruit crimine flagra Dei.
Ipsa creaturis instat vindicta, statutum
Quando Creatoris destituêre sui.
Rura suis hostem stolidè permisit abuti
Amnibus, idcirco dicitur eße nocens.
Rura latrociniјs fieri scelerata sinebat
Flumina, censuram debuit ergo pati.
Nix, glacies, imber debent laudare Tonantem:
Debuit hunc etiam noscere Rura Deum.
Fluminibus Ruræ quoniam censetur abusus
Accola, cum fluuio sentiet arma poli.
Arma poli nullis Superûm spernenda maniplis;
Luciferum cœli deposuère plagis.
Non sic Rura facit Domino, non accola Ruræ
Quod satis est: etiam cedere castra vides.
Stirpitus eruitur vesanæ mansio gentis:
Crimine maiorum cogitur eße nocens.
Tecta coli nobis propter delicta negatum:
Est hominis quondam tecta fuiße scelus.
Hîc Lemures diro Stygiј clamore vagantur:
Manibus vnda fremit; manib. arua fremunt.
Agricolas Dæmon crebrò præuisus abegit:
Agricolas crebrò fecit abire metu.

Territa monstrorum coguntur cedere spectris
Bruta, quibus fœdi constat ineße nihil.
Quinetiam notæ visuntur imaginis vmbræ:
Post obitum maneis Parca redire facit.
In cameris etiam choreæ peraguntur inanes:
Sæpius organicum carmina fingit opus.
Sæpius horrendi simulant incendia fumi:
Sæpius audiri fulmina luce solent.
Fulmina mentito deterrent fulgure terram;
Nulla licet nubes axe minetur aquam.
Sulphur ab Vmbrarum cathedris afflatur: & aura
Naribus hostili fumida peste cadit.
Sic Adamantæo sedes ardore ligantur,
Nemo queat sedeis vt remouere loco.
Hæ præstolantur locupletis munia turbæ,
Vita quibus nondum desijt eße nocens.
Hæc procerum turbis crebrò prædicta fuerunt
Fata; quibus nemo credit ineße fidem.
Suspicor ast certum, vindex quod plurima pœnis
Tartara diuerso præstitit orbe Deus.
Tartara si dubites hîc voluere talia: præstò
Hîc tibi Ruranæ Tartara vallis erunt.
Quæ non ritè pilis videantur ducere nomen.
Rectius hæc Ruræ nomina vallis habent.
Eruta deserti spectantur rudera castri:
Tecta latent; tecti monstrat arena pedem.

Rurendael reliquię desolati castri, in quibus iam ferè nihil præter spectra.

Cella

Cella patet, præbens aditum, diuersa latebris:
Dira pauimentum turbat imago Stygis.
Desolata iacent alijs vestigia castri
Tractibus: hæc etiam Dæmone plena iacent.
Visitur horribili Volmenia Dæmone rupes Volméſtein etiam portentis locus eſt famoſus
Horrida: terribili visitur arce locus.
Monte canes degunt furui; terrore colonos
Afficiunt: alto tecta fragore tonant.
Quisquis Cæsareo suspectat vertice castrum,
Degenerem nescit dissimulare metum.
Rura tamen fœlix, quamuis perturbet eundem
Et Stygijs Dæmon sæpe fatiget equis.
Flumina prouentu deducit diuite rerum,
Flumina squamigero deijcit aucta grege.
Integra terrarum spatioso flumina cornu
Digerit: oblatas vndique potat aquas.
Proximus Oestuico Valmam prædatur; & Henna
Brachia Meschadæ proximus ore rapit.
Venna Vriennolæ Ruram delapsus adauget:
Henna Vredumburgæ raptus omittit aquam.
Castra Sigamburgi simulac accessit eundo
Inferius Lenam Rura furore bibit.
Lena capit Bichæ fluctus: præcelsa Siburgi
Castra, Sicambrorum laude notata rigat.
Præterit Altenam; Limburgi præterit arceis
Lena: sed amisso protinus amne perit.

Bicha Bobanolæ simulac rimatur agellos,
Saxifragis Lenæ conciliatur aquis.
Quà releuat paruo sedeis Hustena nitore,
Rora subit: Ruræ flumen amicus init.
Claustra Giuelbergi simulac Hennæpa reliquit,
Digerit Hennæpam robore Volma suo.
Qui simulac nomen Volmenæ præstitit arci,
Perditur; in Ruræ viscera mersus abit.
Perditus effracto terrarum viscere Mona
Conditur; integro protinus amne redit.
Montis arenoso quoniam sorbetur hiatu;
Ex postliminio redditus inde fluit.
Oppidulum propter veniens illustre Nehæmi
Rura, statim Monæ flumen adesse videt.
Infra Belicbium miscetur Veistera Monæ:
Veistera durari frigore nescit aquam.
Est calidus, pleno dum cærula frigore constant;
Dum gelido tellus marmore stricta riget.
Nec prius ac Ruræ detur frigescit: in isto
Flumine persentit tergora stare gelu.
Candida per plures despectant ostia vici:
Culmina pro multis dicere pauca libet.
Vinterberga caput Ruræ cliuosa ministrat:
Postea Messchedam gurgite Rura venit.
Alluit Arnsbergum: Suertinæ præterit oras
Marchiados: strepero cuncta fragore subit.

Castra

Castra Sigamburgi lambit famosa Sicambris:
Regna Sicambrorum penè sepulta dolet.
Nominis existunt corrupti rudera; gentis
Relliquias constat deseruisse locum.
Praterit Hardicum (dextro stat limite pagus)
Ponte sub oblongo Rura sed arctat aquas.
Deserit ad læuam salebrosi fragmina montis:
Cæsare deductum fragmina nomen habent.
Quà facies Rura, montem transire viator
Qui volet, ascensu cogitur ire graui.
Cogitur exciso ferri per rudera, calle:
Sic in subrectum semita montis abit.
Adiacet excelso Volmenia vertice rupes:
Stirpitus euersam culmine Rura videt.
Turris adhuc quadrata situ, munita repâglis
Surgit: adhuc tecti signa videre licet.
Subiacet horrendi scapulo Vuettrenia montis:
Sæpius elabi culmina monte timet.
Flumine Tencteros sinuato dissecat amnis:
Amnis ad Hattingi mœnia penè ruit.
Culmina Vuertina fluuij sic nomine dicta,
Culmina Ludgeri nomine clara subit.
Pensilis accedit Catuicum tegmine pontis:
Et valido validas ponte coarctat aquas.
Candida Mollemi fœcundat gurgite tecta:
Candida Duisburgi gurgite tecta videt.

Mœnia pulchellæ Rurardum defluit vrbis
Angulus hac Ruræ nomina ferre potest.
Rura graui tandem motu defessus aquarum,
Cum famulis Rheni sceptra subintrat aquis.
Turgidus accepto decurrit flumine Rhenus;
Maior & auxilio fluminis esse nequit.
Attrahit à dextris Emscheri cornua;dextro
Limite Cnipeni mœnia Rhenus habet.
Alenum læuo prospectat amabile,dextro
Valsenum cornu Rhenus inane ferit.
Huc à Duisburgo simul atq; fluenta subegit,
Ad quatuor passus mille peregit iter.
Orsonij sedeis læua metitur:eadem
Berichium lustrat,Buricbiumq́; fugit:
Illud in extremo spectatur margine Rheni:
Longius hoc Rheno deuiat,arua colens.
Huc à Valsenio stadijs vt paupere centum
Aeditior fluctu Rhenus ouante ruit;
Luminis augusto Vesalia culmine surgit:
Fluminis ad dextram Lippia flumen habet.
Lippia Velledæ castris & nomine quondam
Clarus:& hæc vera præscia sortis erat.
Germanis dixisse quidem ventura solebat,
Horrida cum peterent sumere bella manu.
Relligio Diuam fuerat permagna videre:
Relligio Diuæ maior adesse fuit.

Muneribus

Muneribus placata dedit responsa petenti:
Nil etiam gratis visa referre suis.
Promeruit mundi laudem totius habere:
Dicta Druydarum maior honore Dea.
Bructerus ornabat Velledam numinis instar;
Bructerus aeterno praelia Marte gerens.
Turribus egesto Vesalia vertice surgit:
Lippia dum celeri lubricus amne subit.
Lippia campestri deriuat flumina tractu,
Hîc vbi Lipspringae nomina tractus habet.
Eminus adparent Resoni miracula fontis: Bullerborn
Dicitur hoc etiam Lippia fonte dari.
Quem reuocans longo recipit Lipspringa meatu,
Sub terra simulac longius egit iter.
Quàm Resoni mundo fontis natura putetur
Mira, satis mundi fama referre nequit.
Egreditur sensim terris: longinqua fluento
Arua subit; speciem fertur inire lacus.
Ceperit vndarum simulac iam maximus esse
Aestus, inaccesso cuncta liquore fluunt.
Stabat vbi tellus sicco calcata virorum
Tramite, iam vehemens cernitur vnda freti.
Alueus amisso subsidit gurgite sensim:
Alueus amisso deserit amne solum.
Stabat vbi Tethys glauco velata liquore,
Alueolo tellus deficiente redit.

Ceperit vndarum ſimulac iam rarior eſſe
Alueolus;dempto terra liquore riget.
Humida ſubducti remanent veſtigia fontis:
Flora redit:Tethys rupe ſubacta latet.
Infimus,ebibito dum murmurat, alueus,amne,
In media reſonum parte foramen hiat.
Certo delituit fugiens dum tempore lympha,
Senſim,quo fuerat perdita, more redit.
Tum ſolita properans feritate recurrit in altum:
Doris & epotam reddita reddit aquam.
Subtegitur tellus:florum Regina labeſcit,
Cogitur & Thetydi cedere Flora locum.
Lippia prægigni ſinuoſus dicitur iſto
Fonte:nec inficias conuenit ire mihi.
Accola teſtatur:fida teſtantur & aures.
Ceſpite ſub viridi ſæpius vnda fluit.
Sicut ab Alphæo diſcedens flumine virgo.
Deſerit Epirum;deſerit arua patris,
Actus vbi tandem tellure cuniculus eſſet,
Haud faciem Solis virgo pudore tulit.
Ante Syracuſas tacito delata meatu
Egeritur:longum merſa peregit iter.
Non Arethuſa perit,tellure diutius acta:
Nomen reſtat aquis,antea quale fuit.
Sic Reſoni conſtat fontis tellure vagari
Relliquias:imo conſtat abire ſpecu.

Hunc

Huncrepetens pleno tandē Lipſpringa canali
Egerit:hoc igitur Lippia fonte venit.
Lubricus excelſa ſimulac deſciuit ab arce
Lippia,diuiduo redditur amne duplex.
Mox redit in ſeſe repetito latior amne:
Inſula nec longè tenditur;arcta ſitu.
Quem media genitrix peperit Padeborna ſub æde,
Lippia puniceo digerit amne Padam.
Culta manu Cereris nimium Padeborna ſecunda,
Vueſtualico ſurgit conſpicienda ſolo.
Duplex Vueſtualiæ pars eſt:hæc ſubiacet infrà;
Celſius ac ſuprà pertrahit illa locum.
Hæc Zephyros iuxta Boreæ vicina procellis,
Deſinit ad fluctus Iſola penè tuos.
Illa ſub exortu Phœbi,curuatur in Auſtros:
Ante paludoſi ſtagna Viſurgis abit.
Hæc nitidi circa fertur protenſa ſiniſtram
Amaſis: ad dextrum pertinet illa latus.
Arua Monaſteri longo ſubducta receſſu
Hæc tenet;hæc Alphæ flumina lenis habet.
Montis in aſcenſu Padebornam ſuſtinet illa:
Ditia punicei ſuſtinet arua Padæ.
Hæc quatuor centum ſtadijs diſtare videntur
Mœnia,Vueſtualici nomine digna ſoli.
Vueſtualicos ſenio ſuperat Padeborna penateis.
Si dubitas;ſenium tecta docere queunt.

Phœ-

Pluribus adparent murorum rudera tectis:
Fossa platearum triste ministrat iter.
Sæpius ornauit conuentu Carolus vrbem;
Irrigui motus commoditate loci.
Crebrò salutatum reges venêre remoti:
Pacificam reges crebrò dedêre manum.
Cæsar in affini Videchindum contudit agro:
Egregia vicit dexteritate Ducem.
Cum Duce triginta valido pugnaret ad annos:
Castra Ducis tandem fregit, operta solo.
Et locus & vertex Videchindi nomina seruant;
Nam Videchindini nomina montis habent.
Nec fuerat tantùm Paderborna Carolus; illic
Maximus Ausoniæ, præsul ab vrbe fuit.
Ausoniæ præsul fuerat mitratus in vrbe,
Præsul in Ausonia maximus vrbe Leo.
Relligio cuius nulli præsumpsit obesse,
Dum probitas illi visa fauere, nocet.
Liuor obest: cæco pietas liuore petita;
Relligio confert inuidioso malum.
Præsul fortè Leo Laterana cesserat æde:
Tardigradi dorso vectus abibat equi.
Igniflui templum subijt Laurentis: amica
Exacturus ibi sacra Tonantis erat.
Excutitur deiectus equo; priuatur ocellis:
Pars etiam linguæ visa perisse, silet.

San-

Sanguinea præsul iacuit desertus arena:
Puluerea luget sanguiuolentus humo.
Aufugiunt hostes. Si quis deuincat inermem,
Qua capit, ex facili præmia Marte capit.
Vincere non ferro doctus, sed vincere verbo,
Hoste sub armato præsul, vt agna, tacet.
Ille togam fœdat planctu: deuincit Olympum
Fletibus: impleri sanguine rura facit.
Qui fuerant caussæ scelerum venêre latrones:
Pontificis visi condoluisse vicem.
Exanimum terra releuant; solantur inermem.
Hæc ex composito gesta quis esse putet?
Ad Latij claustrum præsul defertur Erasmi:
Et medicus casum latro fouebat ope:
Non vt restitui Papam, sed perdere vellet.
Egregia lusus calliditate Leo.
Et numero plureis Medici persæpe trucidant,
Quàm sparus, aut vltrix tollere flamma queat.
Insidijs obstant Superi: præsensit easdem
Nec tulit Albinus singula fraude geri.
Altis Pontificem demisit mœnibus: extra
Mœnia Spoleti nouerat esse ducem.
Illi Pontificem committit muneris instar:
Instar depositi credidit ipse Papam.
Vuinigisus famula Dux sedulitate Leonem
Excipit: ac curru nobile gestat onus.

Ar-

Ardua Spoleti defert ad mœnia secum;
Quò miseri curam poßet habere viri.
Pontificis cladem simulac deprandit amici
Carolus; hostili talia felle tulit.
Ad se Pontificem deferri præcipit: alto
Pontificem voto Cæsar adeße cupit.
Tantus in Augusto virtutum principe feruor:
Innocui caußam tantus agebat amor.
Cæsar apud Rhenum res tunc cunctator agebat,
Hic vbi Liphemum Lippia flumen habet.
Pergit ad Eoum transmißo pontibus amne:
Ardua Saxonum milite rura subit.
Ocyus electo Padebornam milite cedit:
Pontificem magno cordis amore manet.
Maximus accedit Paderbornæ mœnia Præsul:
Maximus excipitur præsul ab vrbe Leo.
Præsul ad optati procedit Cæsaris ora:
Cæsar Pontificem numinis instar habet.
Carolus ac Præsul sociant in fœdera dextras:
Anchora Pontificis Cæsar & ara fuit.
Quem simulac multo tenuißet tempore saluum,
Ad Latij terram fecit abire soli.
Restituit largo dotatum munere Sedi;
Clauigerum tuto reddit honore Petrum.
Hanc igitur magni præsentia Cæsaris vrbem,
Præsulis & magni gratia iure beat.

Vrbs

Vrbs vt pulcra situ, veteri sic nobilis æuo:
Verùm nobilior fontibus illa Padæ.
Nam Pada quadrifidi diuisus in ostia fonte
Diffluit: Europa dignior extat aquis.
Aede parum summa simulac diuersus abiuit,
Et cubitis centum lene peregit iter:
Congeries affert se mox numerosa molarum:
Mox Pada viginti circulat amne rotas.
Id, fateor, Rheni fluuijs præstare negatum:
Id validis Istri quippe negatur aquis.
Vt sex, vtque decem stadijs defluxit ab vrbe,
Maximus in minimo perditur amne Pada.
Almona fallaci concurrens perditur æstu:
Lippiacis flumen cedit vtrunque labris.
Hic vbi confluxu miscentur flumina trino,
Castra domus surgunt nomen adepta nouæ. Nienhuis castrum.
Auctior hinc gemino dum Lippia gurgite vadit,
In Zephyros sensim grande recuruat iter.
Hinc gemino tellus prodit conclusa fluento:
Tellus Bructerica nomina gentis habet.
Incola vulgari Dalbrugus nomine signat: Delbrug locus.
Incola barbarico seuior hoste cohors.
Amasis hunc Borea, sed Lippia distinet Austro,
Terminat ad Zephyros flumine Glenna locũ.
Solis ad exortum nitido stat vertice saltus,
Quem Teutoburgi nomen habere liquet.

Hal

Hac quadraginta ſtadijs vix latior extat,
Centum vix ſtadijs latior extat humus.
Hic vbi Teutonico Saxonia clauditur orbe,
Antea Bructerica ratio gentis erat.
Nec dum Bructerica ruit appellatio gentis:
Bructerus in noſtro viſitur orbe latex.
Teucburgo vicinus abit: defertur Abnobo
Monte: caput monteis inter vtroſque facit.
Progreditur nigra ſumens augmenta palude:
Rana paludoſis nomen adoptat aquis.
Limpida ſacrati deglutit cornua fontis:
Auctior hoc properat Bructerus amne latex.
Bructerobeca ſubit vicino notior amne
Pagus; & Auſtrali culmina parte leuat:
Subdita metitur Sorbecæ iugera fluctu:
Arua Beuergeriæ pauperiora rigat.
Illic Bructerici cadit appellatio fontis:
Bructerícis Alpha nomen inítur aquis.
Hemeſij tandem ſortitur nomina riui
Alpha; quod Hemeſiam circulat amne molam.
Vt ſtadijs ſupra Rhenam defertur & octo
Et tribus, Amiſij gurgite condit aquas.
Oſnabruga tenet ſolidi vix nomina pontis:
Oſninchbructeriæ nomen habere poteſt.
Tractus adhuc Oſninga manet vicinior: illic
Bructeriæ partem nemo fuiſſe negat.

Inde

Inde Vuidenbrugis nomen cesſiſſe videtur:
Inde Quacumbrugis nomen ineſſe reor.
Vix hîc certa fero dubitans: nam dicitur aptè
Rebus in antiquis vanior eſſe fides.
Bructera diuerſis manet appellatio terris:
Vix regio genti firma ſubinde fuit.
Sæpius aduerſo mutârunt numine ſedes:
Non ſtatio Martis bile quieta diu.
Hinc & Bructerici monſtrat Goſlaria montis
Relliquias: nequeunt ſigna perire loci.
Quin & Dalbrugis veſtigia nominis inſunt.
Lippia Dalbrugas flumine rectius adit.
Limite definit Dalbrugas Lippia dextro:
Amaſis ad læuum terminat arua latus.
Ferme quadraginta ſtadijs diſtare videntur
Amaſis Arcturi Lippia parte Nothi.
Non hic monte cadit; ſed naſcitur æquore campi:
Aequore non campi naſcitur, ille iugo.
Illum Senda parit globoſo lubrica ruri:
Hunc Lipſpringa graui nobilis arce parit.
Hic fluuio Glennæ fruitur lambente Capellam:
Ille capit Dalce flumen: adoptat aquas.
Hic ſubit Occaſum; Rheno miſcetur: ad Arcton
Cærula Teutonici ſubruit ille maris.
Hunc videt illuſtri Veſalia cedere Rheno:
Non procul Emdenæ finibus ille perit.

Hic licet aduecto videatur flumine longus;
Attamen ille suo longius amne subit.
Hic sua præpingui deducit cornua tractu:
Spißa macris illum ducit arena locis.
Vtraq; Dalbrugas includunt flumina bino
Limite: mons reliqui iugera ruris obit.
Ruris obit partem, quà Sol exurgit Eôo;
Quà nitidum nitido reddit honore diem.
Pluribus oblongo sepitur vertice castris:
Mœnia cum pagis vertice crebra sedent.
Innumeras æuum perfert extare ruinas,
Difficilis quarum nomen inire labor.
Condidit extremi Teucburgum vertice montis
Illyris Illyrico Teuca fugata solo.
Altius Iburgi præbet fastigia cliuus:
Cliuus & Iburgo nomen ab arce gerit:
Hic agit Iburgum, Teucburgo degitur illic:
Hoc Zephyros, illud spectat adeße diem.
Perdidit hoc nomen montis; non perdidit istud:
Hoc nimis antiquum; serius illud agit.
Iunius illud agit, iuueniq; recentius æuo:
Temporis hoc prisci nomina laude gerit.
Dum noua spectantur, pereunt antiqua: vetustum
Et nouitas nomen grata perire tulit.
Montis vt Iburgum non staret margine scabri,
Nil nisi Teucburgum nomina montis erant.

Aedita syluosi vallabant fragmina saltus:
Cognita Teucburgi nomine sylua fuit.
Iam Teucburgiaci restant vix nomina montis:
Clarius Iburgo nomen ab arce venit.
Ardua longinquo differtur margine rupes:
Cedit ab Arcturo;cedit ad arua Nothi.
Hassiacis tandem sese coniungit Abnòbis,
Dum procul illustri sydera caute ferit.
Hic vbi Dalbrugas ab Eôo uindicat orbe,
Mons,velut in dorsum fragmina rupis abit.
Hic Teutenburgi manet appellatio saltus; Teuten meer.
Teutonis integrum villula nomen habet.
Pauper ad Antoni cecidit Voestringia fanum:
Illic Harminij creditur esse domus.
Pertenui distat spatio rimator agrorum
Amasis:haud longè Lippia fundit aquas.
Bructera Dalbrugis remanent hic nomina duris:
Varus ibi trina cum legione ruit.
Campus enim victor pugnæ præclara reliquit Vuindtuelt
Signa;quibus nullo stat dubitante fides.
Area diffundit spatioso iugera tractu:
Iugera militiæ viribus apta facit.
Inde quadraginta stadijs Padeborna recedit: Detemolda castrum nobilium de Lippia.
Mille duo passus hinc Detemolda fugit.
Contigua facilis regione profunditur vnda:
Roscidus ebullit paupere riuus aqua. Rodebeck

Ille licet fluctu terras rimetur inani,
Attamen Amisij flumine dignus abit.
Nec truculens riuum fecit Natura rubere:
Sanguine sed Latius flumina tinxit eques.
Adde, quod egesto foduntur cespite pila:
Adde, quod euerso crania rure iacent.
Historiam narrare iuuat: liuore vetustas
Historiam nullo commemorare vetat.
Dux simulac Druso rebus successit adempto
Varus; & Augusti milite bella tulit.
Cæsare defecit Germania: Cæsaris iram
Nil facit: ex Drusi funere læta salit.
Victa quidem crebrò gens nō Germana domatur,
Gens postliminio sæpe reducta necis.
Ad vireis fœcunda tulit Germanus obire
Vulnera; ceu generans vulnere Lerna caput.
Imperij damnum Cæsar fatale resarcit
Militia: damnum nec tolerare valet.
Ipse quid Augustus ferret, quem machina mundi,
Quem Nothus ac Aquilo, vesper & ortus adit?
Cæsaris est, Rheno quicquid finitur & Albi:
Cæsaris est, quicquid continet ora maris.
Post obitum Drusi Varo Romana gerente
Prælia, contemptum Cæsaris ira tulit.
Turba rebellanti sæuit Germana tumultu,
Cæsare deficiens imperat ipsa sibi.

Fascibus

Fascibus aßedit Romanæ quilibet vrbis:
Quilibet insoliti munia iuris abit.
Albis & exoso defecit Cæsare Rhenus,
Et fluuios inter quicquid utrosq; iacet.
Arua suis ergo repeti debere maniplis
Teutona, consultum Varus ab hoste putat.
Teutoniam triplici subiens legione pererrat
Varus: & ingenti prælia mouit ope.
In populos acri nimium feruore mouetur:
Hinc rigor, hinc clades crimine maior agit.
Tot Synodi paßim scriptæ decreta tulērunt:
Proxima nec Synodi nomine terra caret.
Area Romano Synodalis iudice fertur, Sendtueldt
Cuius ab austero nomina iure, locus.
Iure rebellantem cogit parere superbo
Teutoniam Varus, fecit vbiq; premi.
Ad rigidum sonteis iußit prodire tribunal:
Causidico peragit culpa notante reos.
Iura graueis omni lacerant maiora tumultu
Teutones: & grauior funere lictor obest.
Huc ferus accedit tortor; qui sæuior hoste:
Cuius & inuisum torsio nomen habet.
Aera quibus pauper renuit Fortuna, seueri
Iudicio Vari fusti inuēre necem.
Si malè quid rerum, censu qui ditior, egit,
Funere non pœnam culpa, sed ære luit.

Caeditur & virgis qui non peccârat: in omnem
Carnificis gentem iußa ferire manus.
Libertate dolet nimium Germanus adempta:
Qui iam liber erat corpore, seruus erit.
Causidicos tolerare nequit: tolerare tribunal
Est graue: lictorum vincula ferre pudor.
Peior at euentus tortorum verbera ferre:
Verbera tortorum ferre quis atra queat?
Durior attritae nequijt conditio gentis
Eße. Quid Ausonio durius hoste putem?
Omnia fatorum sufferre pericula Teuto
Cogitur: insolito cogitur ire statu.
Exuitur rebus: censu priuatur: habenae
Inijcitur: collo grande minatur onus.
Quid faciet? Vari fastus mutare negatum:
Cedere victori cogitur: arma iubent:
Poena vel inuitos cogit parere; vel Orco
Mancipat: emuncto cista vel aere luit.
Antea quapropter Syrio quod contigit orbi,
Teutonicis fatum cepit ineße plagis.
In Syriam Varus simulac bellator abiret,
Extitit haec diues; pauper at ille fuit.
Qui Syrio postquam tractu diuersus abißet,
Linquitur haec pauper; diues at ille redit:
Egit idem Varus simulac Germana teneret
Sceptra: nec exemplo destitit eße nocens.

Adde

Adde caput Varo, nomen quadrabit auaro:
Appositum rebus nomen inesse solet.
Et meritò, nomen si non obstaret honoris,
Dux repetundarum lege citandus erat.
Nil nisi paupertas deuicto linquitur orbi:
Nil miseris prater, restat habere famem.
Sauijt egregiè Dux parcere nescius vlli:
Sentit ad arbitrium singula iuris agi.
Interea iuri credens astiua trahebat:
Nec tum miles erat munere; prator erat.
Torpida collecto fundârat milite castra,
Victor vbi saltum campus hiare videt.
Et tum campus erat, tali sed nomine cassus:
Cernere sed Vari funera dignus erat.
Dignus erat laudem Vari sentire periclis,
Victor vt Ausonio campus ab hoste foret.
Aptus erat castro; quoniam munitur vtrinq;
Flumine: munitur saltubus ora loci.
Area vel lacuum diffundit in aquora terras;
Et veteris restat signa videre vadi.
Dux igitur visus populi sedasse vigorem:
Omnia Dux Superûm numine tuta ratus.
Torpida securus rubigine polluit arma:
Materia belli deficiente piger.
Non Legio glebis; & non lassatur arena:
Sed potior laxis cura iacere fuit.

Non opus ad pugnam præludere: doctior illis
Taurus, non habito dimicat hoste sibi.
Vtraq; præludens allidit cornua saxo:
Hostis & aduentum præuenit vsq; sui.
Tum Dux militia præclarus, ad omnia fœlix:
Sigimeri natus stirpe parentis erat.
Promptior ingenio plus quàm Germania ferret:
Teutonica maior nobilitate fuit.
Barbarus & patria, non barbarus extitit arte:
Indole maiorum clarius egit iter.
Quod vir militiam curaret, ad ardua præsens,
Teutonis Hermannum nomine lingua vocat.
Armigeris Harmon belli feruore vocatus:
Italis Harminium nomine Roma facit.
Iam gradui Romæ fuerat donatus equestri:
Iam pars Ausoniæ ceperat esse manus.
Esse videbatur patrij desertor amoris:
Sed tacitè patrij cultor amoris agit.
Nomine Romanus, patria Germanus, & ausu
Parthus, fraude vafer mentis, vt Afer erat.
Ille videbatur membris præstare Gigantem:
Consilij donis maior Vlysse fuit.
Ille Cheruscorum dominus Romana notabat
Crimina: permissum credidit esse satis.
Et sua Formicæ bilis: Dux omnia ferre
Non potuit: patriæ rebus adesse cupit.

Quam

Quàm Latio seruire Duci, spectare tribunal,
Vtilius bello fata subire putat.
Ciuis quod Latij fuerit translatus in album,
Nil facit: id vitij patrius vrget amor.
Excusat Natura fidem mutare: coactus
Teutonico mutat Ductor honore fidem.
Pace videt læta Varum torpere: manuplis
Luditur in castris: otia miles agit.
Posse videns illum, qui non ventura tuetur,
Non benè præuisa militis arte capi.
Posse videns astu stolidum prudente fugari,
Qui sua securum ludere castra putat.
Posse videns illum vinci, quicunque pusillo
Non reliquas hosti credit adesse manus.
Posse premi dicit, dum non terrentur, inermeis:
Ludere cunctanteis tempora sæpe, notat.
Prouidus haud tanto cessat Dux cardine rerum:
Rustica veloci colligit arma manu.
Conuocat edicto socios: hortatur ad arma:
Consulit: in Varum sumere bella iubet.
Posse premi dicit Varum: persuadet abundè:
Propria decretis addere facta parat.
Tempora præponit fraudis: dat tempora pugnæ:
Sed tacitis fecit cuncta latere dolis.
Interea Varo tanquam consultor adhæsit;
Ne vel suspicio promicet vlla doli.

Consultum prudenter erat; celare negatum:
Proditio nunquam proditione caret.
Consilium facti o prodit rumore Segestes:
Haud fidei quicquam verba Segestis habent.
Quin alius prædicit idem. Mentita fuisse
Vare putas? nimium vera fuisse scies;
Sunt ferè quæ Paulo Cannæ; quod Parthia Crassu;
Id fore Dalbrugas sentio Vare tibi:
Consilijs Vari quoniam Fortuna repugnat,
Non malè prospectum iudicat esse sibi.
Fata sibi quamuis fuerint prædicta subinde,
Se negat id stolidus credere: vera negat.
Non videt inuerti fatorum munera posse:
Ceu fuerit Crœsi more beatus agit.
Quandoquidem Crœsi subijt Fortuna ruinam,
Alea num Vari firmior esse queat?
Nil alijs ducit præter restare pauorem:
Cùm miser institui debeat ipse metu.
Nugamur murem fecisse negocia tauro,
An nequeat Vari Teuto nocere bonis?
Sors aliud culpa forsan suadente poposcit,
Quàm miser vt Varus noscere fata queat.
Pax dum ficta viget, molimen spernitur hostis.
Inde repentini caussa doloris abit.
Nox abijt terso Solis fulgore remota:
Scilicet Augusti tempora mensis erant.

Nocte

Nocte iacens tota somnum mandabat ocellis
Varus: & officij desijt esse memor.
Excessit Romana metum fortuna: timere
Nescius excedit Ductor & ipse metum.
Securum dormire putat: dormire negatum:
Agmine, qui dirimat somnia, miles adest.
Nil dum tale putat; dum prosper ad omnia Varus;
Harminius celeri rura phalange subit.
Imminet armato præter spem milite castris:
Imminet: horribili classica voce sonant.
Vocis & indicio testatur buccina bellum:
Dux nihil indicio serius arma vibrat.
Herculis auxilium clamore vocatur ab astris:
Herculis auxilium fœmina virque crepat.
Non reditu Phœbi; potius clangore tubarum
Et pugilum, sentit Varus adesse diem.
Harminium castris simulac cognouit adesse,
Territus Harminij nomine corda ferit.
Eripitur lecto: vafram miratur amici
Perfidiam: vesteis, pila, metumque capit.
Eloquitur demens, hæc non ventura putaram.
Alea fatorum siccine versa cades?
Tardius exurgunt Romani: sordibus arma
Pacis ad indicium squallida quisque rapit.
Vndique discurrunt: frustra, qui terreat hostem,
Ordo maniplorum constituendus erat.

Sed

Sed nec tempus erat ſtatuendi cornua: tempus
Officit: aduerſo tollitur hoſte mora.
Arma crepant omnes; cœlum clamore fatigant:
Arma crepant: Varus ſpeq́ue metuq́ue tremit.
Interea paßim miſeri caduntur inermes:
Ordine diffuſi tardius arma leuant.
Quid facient? Septi fluuijs vrgentur: vbique
Saltubus occluſi: currere teſqua vetant.
Hoſtis vbique furit: nihil eſt, niſi vincere pugna:
Vel miſeras inter, fata ſubire, viceis.
Optima de bello, quod debuit antea, Varus
Cogitat: ah æquo tardius æqua videt.
Præſcripti memorem prodeſt ceu temporis eſſe;
Sic neglecta diu ſæpius hora nocet.
Dux animum curis prodit; pallore timorem:
Inſinuat fletu mortis adeſſe diem.
Quæ iam culpa ſibi fuerat, quâ ſpreuerat hoſtem;
Imputat hanc fatis; imputat ipſe Deo.
Debuerat mentem ſocijs inferre: parati
Nil miſer ad bellum pectoris ipſe gerit.
Ipſe nec hortatu cuneos exciuit ad arma:
Obuia nec ſeſe præbet ad arma ducem.
Sed propria multos animant ad prælia cauſſæ:
Non Ducis, at vitæ prælia mouit amor.
Pila maniplares ſtringunt prætuſa cateruæ:
Ordine non habili miles ad arma ruit.

In noua mutabant pugnanteis cornua sæpe:
Irritus immutat cornua sæpe labor.
Tempore nam rapto velocior impedit hostis:
Dum mora Romanis demitur, hostis adest.
Dux malè digesto Latialis milite pugnat:
Milite Dux lecto Barbarus arma quatit.
Hic sibi prudenter generoso dimicat ausu:
Ille sed insulso prælia Marte gerit.
Vt malè collatis ad prælia viribus itur,
Nudus in armatum brachia quando trahit?
Quisque tamen pugnat: damnis certatur vtrinq;.
Omnis ad arma venit; victor at vnus erit.
Orta quidem cædes Supero deflenda Tonanti.
Dißidium quanti caußa furoris agit?
Luctifico mater doluit Natura tumultu:
Prolis ad interitum lachrymat ægra suæ.
Lurida præbebat sceleratæ lumina genti,
Sub tenebras Titan vellet abiße diem.
Terra dolet rerum genitrix: fœdatur iniquo
Sauguine. Ceu brutum funera quærit homo.
Et voces hominum, voces miscentur equorum
Clamor ad Abnobos, clamor ad astra ferit.
Ingeminant ictus: roseo depicta cruore
Arma rubent: tellus strage subacta rubet.
Hostis & hostis eũt simul; & redigũtur ad vmbras:
Præ reliquis Vari turba pauentis obit.

Idge-

Id genitrix vitæ mecum Natura queratur,
Sic hominem præter fata subire Chaos.
Funera perplures subierunt luminis ictu,
Tempore quos longo fouerat antè parens.
Anxia prælongo genitrix fert tempore prolem:
Vix decimo prolem mense soluta parit.
Non satis est nasci: multo sed tempore charum
Pignus alit: multo trita labore fouet.
Illa manus adhibet puero: veniensque cadensque
Hanc puero Titan inuigilare videt.
Aetatem iuuenis simulac accessit adultam,
Mater adhuc iuuenis vincta fauore dolet.
Instruit: ad vitam moreis & munera confert:
Anxia pro iuuenis corpore semper agit.
Diuitias longo confert sudore paratas:
Quò iuueni prosit, fertur obesse sibi.
Et dum vita manet proli lætatur: & ipsa
Depositum tanti grande laboris amat.
Quò magis accrescunt ætatum tempora proli,
Hoc grauior matri cura venire solet.
Plurima seruatæ circunstant retia proli;
Materia nunquam deficiente mali.
Quem genitrix tristi peperit detrita labore;
Quem genitrix toties officiosa tulit,
Hunc citius dicto perimit Bellona sagittis:
Miles eum, veluti, cadit ouile lupus.

Sic

Sic vno moriens oculi procumbit in ictu:
Sic labor, & tempus, charaque vita perit.
Chara perit proles: iam mater desinit esse;
Pars quoniam viua magna parentis obit.
Hîc quoque vita cadit; properâter ad Infera cedit,
Quæ nimium longo parta labore fuit.
Id non Harminius furioso cogitat æstu:
Cogitat id sero Varus: & ergo cadit.
Mors & vita Deo debentur: vulnere Martis
Non homo, Naturæ debuit ense mori.
Cæditur inuito Parcarum stamine miles;
Et fatum præter fata venire facit.
Hîc quid subsisto? Non is subsistit ad arma
Qui venit; opposito tollitur hoste mora.
Præualet Harminius: Germania vindicat hostem.
Auxilio Varus deficiente cadit.
De tribus ad pugnam Legio minus vnica restat.
Corpore Dux viuit; funera mente tulit.
Vulnera suscepit bipatenti maxima tergo;
Vulnera Barbarico cominus ense data.
Inde retrò cedens, mortem testatur adesse:
Lumina belligeræ fascinat vmbra necis.
Corruit infœlix: calcatur ab agmine lapsus
Ipse suo: lacerus membra momordit humum.
Vix opera tandem famuli subtractus: arena
Voluitur: ad saltum ductus; ad antra latet.

Dum

Dum residet, stricto pectus mucrone resoluit:
Et dum non potuit viuere, fata subit.
Morte patri succedit; auo succedit eadem:
Vulnera perfecit vulnere facta suo.
Vt dominum rebus vidit libertus ademptum,
Non potuit Vari non doluisse vicem.
Assimilis morti iacuit tantisper opaca,
Mens aliqua donec parte reuersa foret.
Ad medij traxit saltus speleia cadauer;
Et scapulo tristis triste gerebat onus.
Antra nigris ægrè subijt contexta vepretis:
Hoc nihil esse loco tutius esse putat.
Hic posuit Varum: lachrymis condire cadauer
Incipit: ad Domini pallidus ora sedet.
Quin repeto pugnam? Per me victoria constat
Iam nihil: hic moriar pectora tristis: ait.
Exoluam suprema Duci: cessate pauores:
Et mihi dum nequeo viuere, fata peto.
Inuideas Fortuna: nihil liuore nocebis:
Gloria libertum soluere iusta Duci.
Perfidus accedat, fato me deputet Harmon:
Si dolor est miseris viuere, Parca veni.
Parca veni: mecum cinereis, include sepulcro,
Consulis: & mecum nomina laudis habe.
Vt res est, facio: non exige grandia Consul
Busta: nec æqua tibi soluere busta queo.

Non

Non operam famuli ventura redarguat ætas.
Quod licet, hoc misero gratulor ipse mihi.
Sic loquitur: fletu miserè lamenta profundit:
Sanguineum plorans ante cadauer agit.
Interea clades populo miscentur vtrinq;:
Acrius Harminij prælia miles init.
Ast acies Vari nimium vallata periclis
Cæditur: est actum: vincere fata negant.
Non series fati Latio respondet honori.
Vincere num præter fata quis ipsa velit?
Tertia succubuit Legio: superatur ab hoste:
Præcipui bello succubuêre duces.
Nec reliqui cursu dubitant quæsisse salutem:
Nec fuga dedecori rebus, at apta fuit.
Et Duce quis victo, pugna non excidat? Hostis
Inualuit: valli more coronat agros.
Tres fuerant alæ; totidem cecidêre: cohortes
Sex fuerant; totidem vota dedêre neci.
Diffugiunt illi, non qui funesta tulêre
Vulnera: perpaucis profuit ansa fugæ.
His fuga vix prodest; nemorum qui deuia cursu
Tesqua petunt: pedibus cardo salutis inest.
Pars manet in sylua tenebrosa tempora noctis:
Tutior existit semita noctis ope.
Profuit hoc paucis: multi dumeta pererrant:
Hoste sed inuenti fata sub hoste ferunt.

Inuia syluarum fugienteis compita sæpe
Impediunt: inter saxa tulêre necem.
Qui fluuios inter greßum molitur, vtrosq;
An fluuios inter poßet inire fugam?
Ad gemini stabant hostes consepta fluenti
Iugera: currenteis vndiq; Teuto necat.
Romam qui repetit, dextra diuertit ab Austris.
Obuius hunc rapido Lippia fonte rapit.
Ad loca Parrhasiæ qui virginis abdita fertur,
Dum fugit, Amisij piscibus esca venit.
Et fons Amisij pluuio tum creuerat imbre
Altus: & immensum sanguine fudit iter.
Nec se Dalca capit, guttas miratur in amne
Sanguineas: paßim gutta cruoris abit.
Ipsa ruberet aquas, si tum Rotberga stetißet:
Fingo Vidumbrugas: subrubuiße puto.
Poßet sanguineo terreri flumine Rheda,
Amisijs si tum nota fuißet aquis.
Quinetiam simili tremeret ratione Claholtum?
Quin simili poßet Bela timere modo.
Sanguis eò defluxit, vbi Varndorpia surgit:
Vrbs modò; vix Vari tempore nota fuit.
Roscida Telgetum Tethys tunc ceßerat vsq;:
Roscida Gimnetum ceßerat vsq; Thetys.
Nobilis emporio trepidare Greuenia poßet.
Cur trepidet? vixdum structa, videbat aquas.

Pura colorato fœdatur sanguine Rhena:
Quæ tum Rhena fuit, sanguine fœda fuit.
Decolor insolitis Meppena cruoribus egit.
Quæ tunc horruerint oppida ferre grauor.
Aequor in Arctôum fudère cadauera fluctus
Amasis: Embdenâm sanguine terret aqua.
Quæ nunc Amisij miscentur flumina labris,
Amisij ductu plena cruoris erant.
Insolitum Luthera stetit mirata liquorem:
Pura nec Amisij sordibus ire potest.
Gurgite Lutheram quamuis Bilueldia donet,
Ad patrium mallet Lympha redisse caput.
Ad patrias Luthera nequit transire scatebras:
Amasis imperio cogitur ire sui.
Postquam sanguinei cessisset ad Amasis vndam,
Sanguineas ægrè Dexa subiuit aquas.
Angela quā subigit, quoq; riuulus Emera Phœbi,
Amisii poto versa cruore timet.
Alpha sub Alripam simulac defluxit ad vndas
Amasis, Amisio decolor amne stetit.
Glanus & accepto vitiatur sanguine: riuus
Bructerus Hemesij nomine, fœdat aquas.
Et cruor immensam Nethæ modo fluctib. Hasam
Purpurat: Hundinam purpurat amne cruor.
Et fons tum fuerat, certo vix proditus orbi
Nomine, tunc roseo nomen ab amne tulit.

Mortua purpureis abière cadauera lymphis:
Et fons vix oneri sufficit ipse suo.
Ante Niunbrugas Itali venêre frequentes:
Ante Niunbrugas succubuêre neci.
Nam pars interiit rapido preuentus ab hoste:
Et pars deposito funera ponte tulit.
Illic multa fuit rapido sub milite clades
Edita: barbariem cernere ripa tremit.
Amissum iuxta valuit sperare salutem
Nemo. Quid expediet currere? Lympha vetat.
Qui Borean inter, nec non conuersus Eôum,
Hunc gelidi septum montis abire negat.
Impediunt arbusta fugam: diuisus hianti
Valle tumor, vallis colle dirempta nocet.
Arx est: relliquiæ spectantur vertice montis:
Harminij dicunt castra fuisse Ducis.
Sed vix ante necem Vari, sed postea fertur
Condita: victoris nomine dicta fuit.
Valla ruinarum tumulis diuersa notantur:
Cernere murorum rudera quisq; potest.
Mœnia prærupto descendunt aggere vasta:
Vix aliquo seruant valla tumore situm.
Illic tanta fuit clades, & copia fati,
Vt roseis latè terra maderet aquis.
Cranea cæsorum fodiuntur plurima monte:
Plurima cæsorum rusticus arma legit.

Quis Zephyrum iuxta valeat sperare salutem?
Barbarus à Zephyri cardine miles adest.
Dum reliqui glebis properare tenacibus vrgent,
Præpedit adprensos currere gleba pedeis.
Nil Italis tutum: panduntur vbiq; pericla:
Nil miseris præter fata subire datum.
Quid refert præbere manum? Germana mouetur
Barbaries victi deditione parum.
Nuncius exactæ superest à funere cladis
Vix reliquus: tantùm sæuit acredo necis.
Nuncius emittat famam; vix nunciat ipse:
Nuncia sed clades extitit ipsa mali.
Cuncta quis enarret? miseri caduntur ad vnum:
Tota peremptorum strage repletur humus.
Sanguineo montes fluxu rorantur Abnôbi.
Accola Lipspringæ cædibus arua stupent.
Romula fœdabat Detomoldam sanguine strages:
Stapela multorum sanguine villa rubet.
Accola Lipspringæ minus est Ostlangia clade
Tuta: cadaueribus sordet vbiq; solum.
Quin hos, Teutonico qui non caduntur ab hoste,
Obuia fallaci deuorat vnda lacu.
Tincta paludoso passim vicinia fluctu,
Aequoreis olim mersa iacebat aquis.
Plurima concharum reperiri millia possunt,
Vomere dum rigido villicus arua secat.

Aequora mutantur, ſicco iam puluere preſſa:
Horret adhuc tellus, quando feritur equis.
Et tremula fundus labi tellure minatur:
Et veteris reſtat ſigna videre vadi.
Carcere mulctandi fuerant vix vnus, & alter,
Patritia clari nobilitate viri.
Vincla reſeruarent hos ad maiora malorum
Præmia: ludibrio debuit eſſe locus.
In proprium miſeros animo ſtatuêre triumphum
Ducere; deriſis poſtea ferre necem.
Nec ſatis eſt hoſti fatum viciſſe: ſed ira
Reſtat: in exanimum corporà reſtat agi.
Mortua ſæuitum veniunt in corpora ferro:
Hoſte nec edomito ſuſtinet ira modum.
Poſt obitum bilis meritò ceſſaret amara.
Membra peremptorum dilaniantur agris.
Ad rigidum cauſſas & qui dixiſſe tribunal
Doctus erat; letho forte ſolutus erat.
Cauſſidicum Parca reperit mœrente ſubactum
Turba: nec occiſum credidit eſſe ſatis.
Guttura diſcindit: lacero mox gutture linguam
Extrahit: ad linguam talia miles ait:
Nunc loquitor: tandem ceſſa deferre nocenteis
Vipera: Tanario ſæuior angue lues.
Hoc tu ſupplicium meruiſti Vipera iure,
Stirpitus vt pœnam gutture tracta luas.

Vipera

Vipera desistas bipatenti sibila fauce
Spargere. Mox linguam proijcit ante pedeis.
Protritis insulsis conuicia vocibus addit.
Sic de Caussidico miles, vt vltor ouat.
Mutila non reliqui spoliare cadauera cessant:
Corpora denudant vestibus; ossa cuti.
Castra triumphanti peragrant Romana furore:
Teutonico nupti e more trophæa ferunt.
Mercurio prædæ partem vouêre canentes:
Herculeis partem constituêre sacris.
Bina suis addunt etiam vexilla trophæis,
Quæ Ganymedæa nobilitantur aue.
Tertia Romanus diuulsit carbasa pilo,
Vestibus inseruit signifer ista suis.
Currere molitur; valido præuentus ab hoste
Cæditur: Amissi piscibus esca datur.
Obruta perduntur tali cum milite signa:
At duo Germanus carbasa victor habet.
Captos inter erat Latio vir consule dignus,
Romulea priscum nobilitate genus.
Cælius illustri fuerat vir nomine Caldus:
Corpore captiuus, pectore liber erat.
In socios hostem simulac sæuire videret,
Funeris exemplum prospicit esse sui.
Ipse sibi vitam, sed non mucrone resoluit:
Nec sparus in dextra, mucro nec vllus erat,

Sed qua iunctus erat, iugulo capitiq; cathenam
Incutit: hoc capiti vulnera mole dedit.
Impositum sphæræ capitis fudêre cerebrum
Cranea; cum cerebro spiritus egit iter.
Caltus eludit præuentu funeris hostem:
Hostis ludibrium præuenit arte necis.
Belligeri fracto tandem feruore diei,
Oceanas Titan ore bibebat aquas.
Excubias intra castrum Germanus agebat,
Non oculis somnum victor inesse dedit.
Exanimeis circa, noctem duxêre, cohorteis;
Campus vt occiso tutior hoste foret.
Area victoris tum primum nomine campi
Dicta fuit: Vari clade notata fuit.
Castra maniplares simulac nocturna tenerent
Teutones, officij munia quisq; tulit.
Ecce vident intra saltum fumosa leuari
Lumina: nox medio constitit atra gradu.
Castoris efferri credunt Pollucis & ignem:
Nullus at è fatuo nascitur igne metus.
Flamma loco torrens simulac arderet eodem,
Luminis hinc fatui perdidit illa fidem.
Per loca mendaces saltare palustria fumi
Cùm soleant, radios mobilitate cient.
Hi quia non ignes stationem vertere visi:
Quinetiam sicca montis aguntur humo:

Ergo

Ergo (barbariæ tantum quis crederet esse
Pectoris?) euentum noscere turba cupit.
Insolitum castris aliqui legantur ad ignem:
Insolitæ caussam iuuit adire facis.
Inueniunt flammis Italûm mandare cadauer:
Quæritur, existat cuius ad ossa viri.
Esse pium Vari corpus, respondet; eidem
Officiat nemo: satque superque tulit.
Mortuus exoluit, fauo quod debuit hosti:
Quem renuunt hostes, fata dedêre rogum.
Barbarus audito resonabat nomine Vari.
Ad Stygios hominem fecit abire Deos.
Ille mori promptus: nec enim detestor obire
Cæsus ait: Varo lætor adesse comes.
Fustibus inuadunt tentantem dicere plura.
Spiritus ex miseri gutture liber abit.
Exanimum reliqui gelido secuêre cadauer
Ense: feris nemorum membra dedêre feris.
Officium misero nocuit pietatis honestum:
Quòd benè vult domino, cogitur ergo mori.
Post famuli cædem, Varo suprema negantur.
Eruitur, quamuis penè crematus erat.
Ter miserum diro rapiunt ardore cadauer:
Quà licet in parteis viscera fuste secant.
Barbarico scindit iugulum mucrone satelles:
Obtulit Harminio Consulis inde caput.

Accipit aeternas tali pro munere grateis:
Praemia pro Vari funere digna capit.
Ast reliqui corpus sylua deforme trahebant:
Protrahitur, nexum fune cadauer erat.
Per iuga, per valleis, per aperti gramina ruris
Voluitur: & miserum sentibus egit iter.
Partim mēbra manēt, nec agūtur corpore: partim
Mutila discedunt corpora membra suo.
Ossa sonum reddunt: glebis infusa tenentur
Viscera: spinetis linquitur inde cutis.
Non pars tum potuit discerni corporis vlla;
Vix hominis tandem signa videre fuit.
Totum disijcitur corpus pro vulnere; donec
In lacero nullum corpore corpus agat.
Hippolyti formam Varus praestabat honesti.
Nox abijt: saltu visa redire dies.
Sub fineis Campi ventum victoris: & illic
Varus in Amisij flumina tractus abit.
Relliquijs Vari tribuit Natura sepulcrum;
Non homo; Natura sauior extat homo.
Sanguine sancitum rigido, ne mortua quisquam
Ossa sepulcrali dedat humanda thoro.
Mortua diuersis linquuntur corpora brutis:
Ne requies posset manibus vlla dari.
Forte Morauorum rex tunc Marobodus agebat:
Partibus Harminij sanguine iunctus erat.

Res egit quoniam belli fœliciter Harmon;
Transtulit ad regem Consulis ergo caput.
Funeris ablegat Romani symbola Romam
Rex caput: Augusto Roma quod inde tulit.
Harminius pompa peragit victrice triumphum:
Cæsaribus magni caußa timoris erat.
Reddito Quintili Legioneis, reddito Vare:
Cæsaris hæc mœsti sæpe querela fuit.
Tantus in Ausonia pauor, & trepidatio gente,
Vt nihil Ausonia tristius vrbe rear.
Funera Romanæ sunt hæc, sunt rudera gentis
Tertia: Cannarum primus ab arce dolor.
Illo posterior, tribuit quem Parthia, luctus;
Parthia Craßorum funere læta nimis.
Tertia Dalbrugis fatorum gloria ceßit:
Tertia Teutonico venit ab orbe fuga.
Sciuerat Harminius tum vincere; nescijt vti:
Dum fruitur palma; dum ratione caret.
Si voluißet enim, spatio patefacta bimestri
Limina Tarpæi frangeret alta Iouis.
Est aliter visum Superis. Contenta triumpho
Mens agit: occiso plura nec hoste cupit.
Limite contentus patrio; non transijt vltrà:
Cæsaribus credit satque superque datum.
Rheni dextra statim Latio desciuit ab orbe,
Vidrus, & Amisij flumen, & Albis iter.

Ca-

Cæsar adhæc Rheni dextram transire perhorret:
Danubij læuum transiluiße pauet.
Horruit antiquo contentus limite sceptri:
Baltica nec Latio destruet ense freta.
Taleis ô vtinam repetat Germania vireis,
Inferior nulli conditione foret.
Iam stirps degenerat, Vari quæ fuderat agmen:
Iam propria virtus gente reuulsa perit.
Iunior ab veteri Germania Teutone distat,
Ab veteri quantum Roma decore recens.
Et dum firma iugis Germani mœnia condunt,
Hostibus opponunt mœnia: nemo caput.
Mœnibus infirmi confidunt pectora firmis:
Caußa, quòd imbelles pectore fata timent.
Prodest quid leporem galea, quid chlamide cingi?
Qui timet, incaßum militis arma gerit.
Natio maiorum castris, non vrbibus egit:
Incoluit pagos: incola ruris erat.
Educat imbelleis nostro proh tempore turba
Teutona: degenerat robore turba patrum.
[illegible]utes ore viri nigro: sed pectore pauci.
Caußa stat: imbelles nascimur: adde fidem.
Ante viris æuo nupsit matura senili
Virgo: nec infanteis protulit, illa viros.
Iam tenera pueris ætate puellula nubit:
Et puer hinc puero destinat eße pater.

Antè

Antè fuit nulli luxum præferre voluptas:
Fortior hinc etiam fœmina virque fuit.
Iam Venus eneruat, Liber iam pectora frangit:
Plureis ergo graui deuorat ense gula.
Quid memorem? Teuto defecit origine patrum
Degener: & patriæ rudera stirpis alit.
Grande tonat; nō grande facit Germanus: in hostē
Teutonia mures parturiente ruunt.
Scire liquet quanto Rhenus defluxit aquarum Epilogus libri Quinti.
Limite? mensuram computus ergo dabit.
Computus enarrat viginti millia passûm:
Addito viginti millia quinque pedum:
Addito finali parasangas ordine septem:
Detrahe nil stadijs quattuor, atque decem.
Lippiacus tantum distare Colonia labris
Cernitur: id spatij cernere nauta potest.

Finis libri Quinti.

LIBER

LIBER RHENI SEXTVS A CONFLVENTE RHENI ET LIPPIAE VSQVE ad Oceanũ Germanicum; in quem Valis, Leca & Isola tria Rheni se cornua exonerant.

ARGVMENTVM IN LIBRVM RHEni Sextum à Vesalia vsque ad Oceanum; in quem Valis, Leca & Isola tria Rheni cornua sese exonerant.

Lippia flumen à dextris præteriens Dalbrugas Padã & Almonam fluuios apud Nienhuis accipit & Lippiã sui nominis vrbem irrigat, infra Capellam monasterium capit fl. Glennam. apud Hammonem accipit Asam fl. Asa verò Rosonobellam fl. & Alphã vrbe Susatensi missam accipit, cumq; istis Lippiam intrat. Inde nouam & veterem Lunam Lippia dirimens, ad lœuam Zesacũ fl. qui apud pagum

pagum Lunerum exoritur, accipit. Ex mõte Boũberga, qui ſtructuris ædiũ per totã ferme Germaniam accomodus exiſtit, fluuium Steueram excipit nõ procul ab oppidulo Haltreniæ. Steuera aũt ex cliuo montis prædicti egreſſus, non procul à Notileno nobilium virginũ cœnobio, ſtatim ab ortu ſui molas circumagit villæq; Steueræ nomen facit; Solis ad exortum primò labitur: poſtea ſeſe ad Auſtrũ gyrans Ludinchuſium alluit caſtrũ, inde Lippiæ ad dextrũ latus iũgitur. Lippia verò Recolinchuſiã à ſiniſtris prouinciã, à dextris Haltrenũ eminus, Ranſtorpiã, Harueſiũ & Dorſtęnum oppidũ prętérit; Velledæ Bructericæ aulã parum ſupra Veſaliã, vbi Spelledẽ viculus eſt, præterfluit, ipſamq; Veſaliã à ſiniſtris alluẽs ſtatim Rheno coniungitur. Rhenus nõnihil deflectens à Septentrione in Corũ vergit: longiſsimè Zanthi Troiã à ſiniſtris relinquit: ibi locorum fertur in Sicãbris Iul. Cæſar Rhenũ põte clauſiſſe.

Inter Veſaliam & Zanthi Troiã ſunt quinque mille paſſus.

Inter

Inter Zanthi Troiam, & Rhesiã (quę Rheno imminet à dextris) sunt sex millia passuum.

Inter Rhesiam & Embricam, quæ etiam à dextris, sunt decem mille passus.

Inter Embricam & Gręthusam, quę parum remota est à sinistris Rheni, sunt viginti duo stadia.

Rhenus inde facit Vosse gatth, quasi hiatus vulpis. habet illa in longitudine viginti stadia et vnũ, in latitudine octo: distat à Græthusa quindecim stadijs: Tælonium à dexris habet Rhenus, Ducis Cliuorum: ibi Rhenus primò diuiditur: Valim emittit à sinistris, immensæ altitudinis cornu. Valis verò ad Zephyrum labitur; vrbem præclaram Geldriæ Nouiomagum à sinistris alluit: à dextris Lédt viculum planè submersit fluctibus.

Inter insulam Vossen gatth & Nouiomagum sunt septem millia passuum.

Inter Nouiomagum & Tedium opp. centum stadia.

Inter Tedium & insulam Valis & Mosæ

Mosæ sunt quatuor mille passus.

Insula, quã Valis lœua, Mosa dextris alluit, præclarum habet oppidum Bomelum, ad Valis sinistram: habet insula in longitudine centum stadia, in latitudine quatuor mille passus. Ad finem insulæ inter confluentem Valis & Mosæ arx est Leonina rupes: amittit ibi nomẽ Valis, & in Mosæ nomen transit. Mosæ descriptio petatur ex textu.

Inter arcem, Leoninã rupem, & Dordracũ, sunt viginti millia passuum: plura ex textu.

Rhenus ab eo loco vbi Telonium est, ex Coro in Arcturum fertur: Eltenium superius & inferius à dextris præterit, eadem parte Seuendarum proximè, remotius Aertanum. Declinat in Zephyrum. Angremium à lœua remotius habet. Corum adit; à lœua Husseniam & Malburgũ habet: inde Iselordum à dextris alluit, vbi in cornu secũdum, quod vel fossa Drusiana, vel Isala nouus dicitur, diuellitur. Inter eum locum, quo effudit Rhenus Valim, eumq; quo emittit

Isalam, sunt nouem millia passuum.

Rhenus in Occidentem, Isala in Oriētem labitur, Isalordum à sinistris habet, quasi in angulo, Vuesterfurdā à dextris: modico flexu in Septentrionem fertur. pręclarū à dextris opp. Doesburg alluit.

Inter Embricā et Doesburgum, iuxta fluuij circuitum octodecim millia sunt passuum: iuxta iter Parallelæ lineæ, siue pedestre sunt centum stadia.

Iuxta Doesburgum influit Isalam nouum Isala antiquior.

Isala antiquior oritur in Vuestualia, prope Mariæ vallem progreditur. Ringbergam & Dungenum longinquo deserit: Vuerdumbrochiam et Vuerdam pręteriens, ingētes longè lateq; paludes efficit: Iselburgum, prouinciam Anholdinam, Lancfurdum alluens, à dextris accipit fl. Alpham, qui etiam ex Vuestualia prodit, non procul Velenam deserit, alluit Ranstorpiam, Gæmenum, Borcanum, Rheam, Bocholtiam: tandem influit Isalam: Isala verò Alpha flumine accepto Vlstænum præterit, Suuanenburgum

gum castrum, Burgiacum oppidum alluit; præterea Olstænum, Dotichimenum, Capelinum, Docsburgum, sub eo influit Isalam nouum. Isala verò nouus à sinistris Dierenium & Spācranium oppida lōgius amittit; longius etiam à dextris Steendæram amittit: à dextris etiam proximè Brunchorstiam oppidum alluit; à sinistris remotius Vichmondum deserit.

Inter Doesburgum & Brunchorstiam quatuor mille passus.

Inter Brūchorstiam & Zutphaniam sunt viginti stadia.

Apud Zutphaniam miscetur Isalæ à dextris flu. Bercola, qui nascitur ex fœnifero prato, quod dicitur der Spechuser vuysche: accipit præterea auxiliares vndas ex gurgite quodā, qui dicitur, der Holthuser dyck, & ex quodam gurgite qui dicitur de Mollendyck, quem fl. influit, non procul à Bidrebeca, ad viam quæ ducit ad castrum Hameren dictum: & quia tres scaturiunt ex Bidrebeca fontes, qui Bercolam influunt,

inde etiam loco nomē inditum By drey becken, apud tres fontes: habent Bidrebeccenſes quoq; in inſignibus ſuis tres lineas ad trium fontium ſimilitudines: Bercola acceptis hiſce fontibus ſub Bidrebeca D. Ludgeri fontem accipit; accipit præterea Vorlonicum torrentem. Naſcitur etiam ex cāpo, qui pertinet ad caſtrum Hameren, riuus, qui & foſſam caſtrenſem influit, ibiq; molas circumagit: is ſeſe coniungit Bercolę, in Burſca pia Luthenn: & ibi primo nomen innoteſcit Bercolæ: qui inde Coeſueldiam, Geſcariam, Statloniū, Vredenam & reliquias deſertæ arcis, Hyburgum, Borculou, Lochemum, Galilæam & Zutphaniam alluit.

Inter Zutphaniam & Dauentriam ſunt quinquaginta ſtadia.

Iſala in Circiū iter mutat: lœua Tuoldenium habet remotum, Velſenam proximè alluit eadem parte: à dextris Olſtænum & Vigionum præterit; à ſiniſtris Veſreniam habet, & fl. Griſtium, & oppidum Hattemum.

Inter

Inter Dauētriam & Hattemum ſunt duodecim millia paſſuum.

Iſala inde à ſiniſtris habet cœnobium virginum Clare vuater, nomen habens à claris aquis: eadem parte Zallichium, altera Vilſenum alluit viculos: paruam deinde circumfluens inſulam Campos opp. à ſiniſtris florentiſsimum habet.

Inter Hattemum & Cāpos octo millia paſſuum.

Iſala ſub Campis ad octo ſtadia commiſcetur mari; ibiq; à dextris Vidrum ſiue Vechtam habet fl. Vechta tres habet fontes, primus ſupra Darueldiam ebullit, circa Groethoueū, alluens Burloniam minorem, molas circumagit. Secundus, apud villam Ieuordinganam exoritur, Rocholtum alluit, influit hunc Tertius, qui ex colle ebullit apud Sacellum Annæ dirutum. Tres iſti fontes conſtituunt nomen Vechtæ. Vechta è longinquo inter Scoppingiam & Egenradum labitur: exortum ex tēplo Scoppingenſi (quod extra vicum eſt) fontem limpidiſſimum, & plures ex mōte Scoppingano

à dextris digerit. Vechta Metilonium & Langenhorstiam præterit, à dextris Alpham fl. habet. Alpha verò apud pagum Laer nascitur, natus ex colle, pratum sacrum dissecat, limpidissimo nunquam flumine deficiens: influit Alpham Scalfurda, qui apud Villam Homodi ex colle exoritur, villam Temmingianam alluit, iuxta villam Lochoff in Alpham labitur. Alpha accipit flumen, quod dicitur de Austerbecke, pręterit Stenfordiã, Vettringiam, Onæum, Scuttorpium, Northornum alluit, iuxta Frensbergas influit Vechtam. Vechta flu. Dincolam habet. Dincola influit pratum fœniferũ de Barenborg, non procul à Ledden. Egelburgũ alluit; riuulum præterea habet ex monte, quo Leddenses ad ædificia sua cædunt saxa. Dusterum fl. à sinistris excipit, qui vicino agro & molis nomen indit. Dincola verò Hecam, Nienburgas, Epenã, Gronou alluit, post Nienhusiũ se exonerat in Vechtæ sinistrã. Vechta Emelinchusum, Larenã, Gransbergas, Hardéburgum, Ommenium alluit;

luit, inferius Regulam habet fl. Regula ex Lisnero oritur saltu, influit castrẽsem fossam Ahusiæ, lœua Vessemiam longinquo, proximè Alstadium pagos. Crebris inter vtrunq; pagum torrentib. adaugetur. Hoxbergas, Depẽhemum, Goros, Enteriã, Grimbergas, Viderdenam, Schulenburgũ, Raiã & Lemlerum montem longè præterit. Postea Vechtæ sinistram influit. Vechta verò Rechtreniũ, Dalffenum, Rutẽbergas, Montanũ claustrum alluit; et Alphã Heindena et Suollis delapsum à sinistris excipit. Vechta in nigræ aquæ nomen desinit; Hasseldũ cœnobium nigræ aquæ alluit, apud Gelmudã influit eundem maris sinum, quẽ Isala. Rhenus postquam duo iam amisit cornua, Valim & Isalam, reliquijs vndarum iter continuat, Arnemum oppidũ à dextris alluit, ab occasu solis, sensim mouetur in Austrum; Eldenium lœua, Vaganum dextra habet.

Ab eo loco, quo Isala desciuit Rheno, vsq; Vaganum sunt decẽ millia passuum. Apud Oesedium, quod à sinistris

eſt Rheno, oppidulum, curuatur maximè Rhenus, ex Auſtro enim in Circiũ, ex Circio in Corum labitur, Rhenanũ, ſiue Rhenen opp. à dextris prẹterit, inde Vichiam opp. alluit.

Inter Vaganum & Vichiam ſunt centum ſtadia.

Rhenus verò ſe totum ferè exonerat in Lecam; quem antea exiguum effuderat, iam maximũ ipſe relinquit exiguus. Lecaq; iam Rheno potẽtior Culenburgum & Viãdam oppida à ſiniſtris alluit.

A Vichia vſq; Viandam ſunt decem millia paſſuum.

A Vichia vſque ad mare, in quod ſeſe Leca exonerat, verſus Dordracum, Batauorum quondam portum, centum ſunt ſtadia.

Rheno quod autẽ ſupereſt, à Vichia Traiectum verſus defertur; ſub Traiecto paſsim Rhenus amittit aquas: effundit enim ſeſe partim in Vechtã, partim in Iſelã. Rhenus autem tenuiſsimus iam, Vordinam & Lẹdam oppida alluit: tandem Catuicũ allabitur: ſtatim ibi iuxta

arcem

arcem Oceano expoſitam,in mare vaſtũ prouoluitur.Sic Rhenus,qui minimis incepit initijs,minimis etiam aquis deſinit tantus,quantus eſt.

Inter Vichiã & arcem ſub Catuico, vbi Rhenus in mare ſeſe exonerat, ſunt trecenta ſtadia.

A Veſalia inferiori vſque ad eandem ſub Catuico arcem ſunt ſeptuaginta, & quinquaginta ſeptem ſtadia: quæ faciũt miliaria Germanica communia viginti tria; & viginti ſtadia, & vnum.

Totius autẽ Rheni longitudo, à primo anterioris Rheni capite, vſq; ad mare, in quod Rhenus vltimò deſinit, continet in vniuerſum mille, ſeptingenta & octoginta ſtadia, & vnum: quæ faciunt miliaria Germanica communia centum quadraginta nouem: redundant ſtadia decem & tria.

ANterior nullo numerus procede librorum:
Posterior quinto posteriora feras.
Lippia Dalbrugas Vari cum sanguine linquit:
Funeris haud Latij desinit esse memor.
Teutonicum Rheno properans inferre triumphũ,
Sanguineas Vari clade ministrat aquas.
Fluminis aduentu pagi lætantur, & vrbes.
Vrbs subit; ex fluuio Lippia nomen habet.
Mœnia Romani statuerunt: mœnia quondam
Clade Boêmorum nobilitata graui:
Accipit albentis dextrorsum brachia Glennæ:
Glenna Capellano dignus honore latex.
Lippia pernici fœcundat pascua fluctu:
Oppida præteriens vbere lingit aqua.
Præterit Hammonem; celeri quam verberat Asa
Flumine; quem celeri Lippia mole bibit.
Hic Rosonobellæ fluctus exantlat amœni
Asa: nec imbibito tardior amne fluit.
Amne nec accepto melior, nec pulcrior amne
Asa: sed acceptis nomine cedit aquis.
Omnia concurrant fluuiorum nomina; nomen
Ad Rosonobellæ cuncta silere rear.
Asam fluminibus subit auxiliaribus Alpha:
Alphaque Susato missus ab vrbe cadit.
Mœnia Susati surgunt altissima visu:
Incola prudenti rusticus arte sapit.

Vrbs

Vrbs est prisca: situ testatur temporis æuum:
Fœda luto: calleis sorde platea secat.
Marte Boëmorum simulac obsessa fuisset
Lippia, per luces quattuor, atque decem
Ceperat armato Susatum milite cingi:
Ceperat amoto fortius esse metu.
Ad spatium mensis simulac contusa fuissent
Mœnia; tot simulac hostibus icta forent:
Deficiunt hostem vires: cessere Boemi;
Sanguinea Martis destituuntur ope.
Cæde quadraginta totidem quoque millia tristi
Incola Susati cedere vidit agro.
Belli caussa fuit: Susatum Cliuia cepit
Imperio victrix associare suo.
Ast vrbs iure tibi parere Colonia semper
Debuit: imperio cesserat ante tuo.
Excidit: effectum mutare Colonia nescis.
Cliuia Susati munere læta manet.
Præterit Hetzueldum: Lipburgi præterit oras
Lippia: pagorũ nomine lætus abit.
Hezenium fluctu lambens fœcundat opimum:
Alueolo Vernam diffugiente videt.
Lippia descendit: duplicis sub culmine Lunæ
Labitur: hinc veterem deserit; inde nouam.
Quà iam posterior consurgit, Zesacus vndam
Aduehit: hunc læuo Lippia fine rapit.

Zesacus

Zesacus effundit pulchello cornua fonte:
Flumina Luneri deuehit orta casis.
Vrbs & antiquæ retinent vestigia dextram
Fluminis: hîc nullum Lippia flumen habet.
Obuiat Haltremum dextro quod limite surgit
Eminus; ac ouium vellere curat opus.
Digredior: Boumberga vocat me: nascitur illo
Steuera; quem sociat Lippia dexter aquis.
De Boumberg. *Mons est: imposita cognomen ab arbore ducit:*
Accola Boumbergam nomine turba vocat.
Paruus circuitu: maior virtute: sed amplus
Nomine: sed variat nomen, vt vmbra locum.
Mons in circuitu bis sex dat millia passûm
Totus: & esse suo maior in orbe nequit.
Monte Ceres imo cliuum spicata venustat:
Copia sed Dryadum vertice montis agit.
Naiades excelso deducunt flumina monte:
Naiades illustri flumina valle trahunt.
Quod Paros Aegæo, Pelopis quod Tænarus orbi,
Luna quod Hetruscis marmore clara valet:
Hoc mōs Vuestualico Boumberga valebit in orbe,
Accola dum laribus condere tecta parat.
Saxa graui vertex profert cælanda labore;
Materia quorum nemo carere potest:
Seu tu tecta velis hominum, seu condere templa
Numinis; aut turrim, pulcra vel ora Dei.

Si qua

Si qua ſemel Phœbi rigeant ſiccata calore,
Vix ſciet hæc vehemens frangere ſaxa gelu.
Et cùm multa trahant rimas, hæc corpore conſtãt
Perſolido; rimis læſa patere negant.
Tempore diſſolui cernuntur plurima longo:
Et dum noſtra manent ædibus, iſta ruunt.
Multa ferunt formam ſilicis fragmenta rotundi:
Duritiem ferri multa referre ſolent:
Neutrum noſtra ferunt: molli ſunt peruia ferro:
Et ſpeciem menſe plana ſubire queunt.
Multa cauernarum poris viſuntur hiare:
His ſolida nullum mole foramen hiat.
Multa relinquuntur furuo damnata colore:
Hæc nitido vincunt ſaxa colore niuem.
Multa nec aptari poſſunt: aptata nec eſſe
Digna queunt pulcro ſatq́ue ſuperq́ue lari:
Sed mons ſufficeret Tarpææ Vueſtualus arci:
Sufficerent Côo ſaxa placère ſeni.
Cedite præclari, præclaraq́ue marmora, montes:
Aptius hoc etenim ſentio monte nihil.
Vtitur his igitur perſæpe Colonia ſaxis:
Hæc igitur magno ſaxa Brabantus emit.
Hæc etiam priſci cedunt Brunonis in vrbem:
Onacra quam rubeus diuite ſcindit aqua.
Hic foueæ vaſto lapidum panduntur hiatu:
Infima ſi videas, obruet ora tremor.

Altè

Altis eruitur saxorum copia fossis;
Copia saxorum diuite casa specu
Machina transuersim lapideis educit ab imo,
Machina collosæ continet ora gruis.
Sed qui saxa secant, eadem qui gurgite tollunt;
Pauperiem semper sustinuere grauem.
Ex facili ponunt lapidum compage penateis:
Ad speciem ferri tecta videntur haræ.
Optima diuendunt aliis; vilißima seruant
Saxa sibi: verum monstrat imago loci.
Et sic qui fodiunt aurum, qui viscera terræ
Pallida scrutantur, pauperis instar egent.
Ad dominos transit, quicquid spelunca metalli
Sufficit: ad dominos copia mercis abit.
Nec qui saxa fodit; nec qui descendit ad aurum
Labe caret: luxu quærit vterque famem.
Hoc etiam tractu lusus Natura peregit.
Autumo Naturam ludere? vera facit.
Saxa viri postquam latebris excisa secarent:
Plurima nam tulerant paupere saxa manu.
Reperiunt magna lapidis compage foramen:
In media saxi parte foramen erat.
Introitus nusquam fuerat; non exitus vsquam
Aëris: ast vacuum cernere rima dabat.
Nec rimam Natura dabat; sed verbera ferri:
Artificis ferrum sponte foramen init.

Inse-

Insolitum cuneis aperit Lapicida foramen:
Diuiduus planè cepit hiare lapis.
Forma ſtatim piſcis ſaxo ſpectatur ineſſe:
Sed non piſcis erat corpore;forma fuit.
Integra ſquamarum ſeries ſulcatur in ipſa
Cote:patent fauces,ſicut vtrinque ſolent.
Craſſum nempe caput:lato ſtat tergore cauda,
Tergo prima ſedet;pectore prima ſubeſt.
Omnia commonſtrant Capitoſi corpora piſcis
Integra:neglectum dixeris eſſe nihil.
Tale viri Monſtrum ſimulac videre frequentes,
Crediderim multos ſubdubitaſſe metu.
Altera ſeruatur Capitoſi portio piſcis:
Altera fabrorum verbere trita perit.
Mira Dei virtus:mirè Natura relucet:
Omnia miremur;noſcere pauca licet.
Doctus,qui valuit rerum cognoſcere cauſſas:
Quæ capiunt pauci,multa videmus agi.
Piſcis adhuc monſtri formam Boumberga dediſſe
Gaudet:adhuc gaudet munere læta ſuo.
At mons præterea Boumbergæ nomina mutat:
Mons in circuitu nomina ſæpe nouat.
Vertice Boumbergam Sturterus acuminat alto:
Vertice Sturterum gramina ferre liquet.
Eurum ſi videas,dextra protendis ad Eurum,
Inde Monaſteri templa videre potes.

Si videas Corum; læua cernentur Abnobi:
Ediua Teucburgi cernere castra vales.
Si Boream mauis spectare; Greuonia tandem
Opposita cedet fronte videnda tibi.
Circius aspectat Strucani robora saltus:
Robora Strucani saltibus alta virent.
Margine digreditur dū Steuera, flatibus Austri
Expositum tollis Vesteradane iugum.
Exhibet effracto Vichanus vertice saltum:
Et mons, qui tumulo dicitur Altus, adest.
Steuera limitibus, nec non Vperhauea Marcam
Destinat: hoc etiam nomine Marca placet.
Nam quod limes agit Romano cognitus orbi,
Cognita Saxonum nomine Marca facit.
Steuer Bur scopp. *Vertit ad exortum se mons hinc Steuera: stricto*
Ipse Scabinorum nomina iure capit.
Nempe Scabinorum subeunt decreta coloni:
Iuris & ad uetiti munia vulgus abit.
Carolus æterno regnorum nomine magnus:
Teutona quo melius possidet ora nihil:
Ad Christi legem frustra Saxones adegit:
Saxeus hoc etiam nomine Saxo fuit.
Saxo Dei iussis cepit parere grauatim:
Cæsaream Saxo cepit obire fidem.
Quod minus ipsa pij clementia Cæsaris egit;
Quod non verba monent credere, pœna monet.

Arbo-

Arbore ſub triplici ſuſpendia pluribus vrgent
Guttur;& eliſo ſpiritus ore perit.
Si crux abfuerit, quouis ſtet florida tractu:
Cæſareo quercus iure tremenda ſtetit.
Horrida nolentes parere Tragœdia fecit:
Eſt pauor hac vetito funera iure pati.
Hac tacitis ceſsit ſcelerum vindicta Scabinis:
Quæ miſeros prandi vidit, obire dies.
Praua non aliquem tegit expurgatio culpæ:
Nemo laborantem ſuſpicione tegit.
Hac populum terret ſceleris cenſura rebellem:
Vueſtphalus hoc potuit ſanctior eſſe malo.
Quæ iam cuncta regunt Saxonis mœnia duri,
Inde Scabinorum iura venire liquet.
Omnia pandantur: verùm non panditur vlli,
Patribus arcani iura quid iſta tegant.
Teſſera ſeruatur iuris: non proditur vllo
Aere: nec elicitur teſſera mortis ope.
Si mons à fluuio ſortitur Steuera nomen,
Cauſſa ſuo ſtabit penè remota loco.
Cauſſa tamen longè ſuperat vicina remotam:
Nec mons ſic fluuij nomina, iuris habet.
Ius tribuit monti, tribuit ſed Steuera iuri
Nomen: eò cauſſa fiet vtriq; ſatis.
Ius fuerat pulcrum; quod nunc inuertit abuſus;
Dum ratio iuris curat inepta vicem.

Dum faciles stolida furiunt ratione Scabini,
Cæsarei nomen iuris inane parant.
Optima iurârunt iurandi numine iuris:
Pessima iurandi numine iuris agunt.
Officiunt iuri; quamuis decreta rigore
Expediant; quamuis iura latere velint.
Cedat in exemplum quoq; Sendenhorstia: vinctū
Fune quòd insontem tradidit ipsa cruci.
Villa fuit: spectatur adhuc: Horstorpa *vocatur:*
Hîc iuueni virgo nupsit adulta viro.
Quæ tum sponsa fuit, multo cum coniuge vixit:
Quæ tum virgo fuit, languida friget anus.
Mensa colonorum serie vallata gemiscit:
Hic cubitis mensa nititur; ille sinu.
Omnia neglecto conuiuis ordine fiunt:
Omnia conuiuis cernere plena fuit.
Nigra leuat fumo cineres vndante culina:
Et media cingit parte culina focum.
Cum domina lecti residet consorte maritus;
Cum Cyclope facit ceu Galathæa viro.
Pinguia raptantur petasonum tergora cultro:
Culter & hesterno tergora pane fricat.
Fagineos lassa vacuant ceruice culullos:
Ebibitos vertunt vir mulierq; scyphos.
Bombus & agresti resonat dum fistula cantu,
Sibilat arguta clarior arte sonus.

Omnia replentur bombis & carmine: clamor
Stentora qui superet barbarus astra ferit.
Sic dum cuncta sonant, iuuenes cū virgine saltāt:
Virgo licet multis rara videtur auis.
Interea pugnam nemo sedare valebit:
Pugna fit: hinc Zythus dimicat; inde sitis.
Potus materiam tribuerunt hordea lymphis
Cocta: color formam donat adesse virens.
Prandia iunguntur pôclis: dum prandia durant;
Quisq; canit: sed dum pocula; quisq; furit.
Tot lassata cibis, necdum satiata laborat
Rustica iam grauido plenior vtre cohors.
Et iam tempus erat misceri vespere cœnam:
Et iam plebs meritò debuit ire domum.
Illic Hesso fuit quidam cognomine dictus:
Lætus erat: lethi nescit adesse diem.
Vesper in æternæ concedet tempora noctis:
Et quæ lucis erant pocula, mortis erunt.
Hesso leues inter residet conuiua Scabinos:
Inter inhumanos agna sedebat apros.
O vtinam surgens mensa maturus abisset:
Vltimus esse cupit; robore primus obit.
Is digitum nulli mouit, quo læderet: idem
Lætifica risus ebrietate dabat.
Ceu qui nulla timet, sincerus ad omnia gaudet;
Lætitia rarò sentit inesse modum.

Omnia nugantur: Consul nugatur: & ipse
Patritia clarus rusticitate fuit.
Sendenhorstana praeclarus origine gentis:
Gentis erat Consul: iure Scabinus erat.
Sede iacet prima, Cerdonum munere dignus:
Fastu clarus erat; paupere dignus hara.
Et iam plenus erat zythi: iam laxior aquò
Zona fluit, pôclis ventre datura locum.
Tandem postpositis statuit prudentior esse
Risibus: & solito cultior esse parat.
Esse tamen nescit sapiens; exoptat haberi.
Composita cepit fronte seuera loqui.
Ad tacitos habili loquitur grauitate Scabinos:
Nec iam tempus erat spargere verba iocis.
Consulis exemplo, reliqui fecère, quod egit
Consul; & arcanè seria quisque facit,
Antea clamârunt in apertum ludicra: clamor
Iam iacet: audiri verba nec vlla queunt.
Antea Tantalico vulgârant singula more:
Cessat iam similis quilibet esse sui.
Auriculas vnâ tandem iunxère Scabini:
Forte Scabinorum iura latenter agunt.
Talia mirantur reliqui: miratur & Hesso:
Seria nec tacito credidit ore geri.
Continuo postquam taciti sermone susurrant,
Hesso sonat: quae sic dicitis ipse scio.

Horum

Horum se naso perstringi credidit Hesso:
Credidit haud vetiti somnia iuris agi.
Rideo: ridentem vetuit quis dicere vera?
Hæc memoro ridens falsa fuisse velim.
Verba per Hessonem simulac prolata fuissent,
Verba Scabinorum iure notata graui:
Cum socijs Consul perpauca loquuntur in aurem:
Innocuo fatum constituêre viro.
Mox hominem Consul, veluti secreta notantem
Iuris, agitq́; reum, mox peragitq́; reum.
Acriter inuadunt Hessonem: duriter angunt:
Hic pede, vel iugulo, continet ille manu.
Hesso nec obsistit furijs: tulit omnia risu.
Vesper erat: necdum noctis imago fuit.
Officium iuris satagunt curare Scabini:
Officium nescit pésue manúsue suum.
Funibus Hessonem stringunt: nugatur & Hesso:
Nil cum morte rei credidit esse sibi.
Quercus ibi coniuncta viæ surgebat: eandem
Carnificum votis turba placere videt.
Ridet adhuc Hesso. Quid enim censeret obesse?
Non se carnificum credidit arte regi.
Præter iudicium, præter ius omnia fiunt:
Arboreis scalam substituêre comis.
Qui tunc inter eos fuerat; qui iunior æuo,
Carnificum gaudet iussus obire vicem.

Prauius arctato superabat tramite scalam:
    Prauius Hessonem fecit ad alta sequi.
Hesso libens sequitur: nec enim truculenta notabat
    Fata: subit scalam sponte: capessit iter.
Arbore subnexus simulac iam guttura funis
    Cingit, adhuc fraudis credit obesse nihil.
Et modò nugarum satis est: modò mittite: clamat.
    Excutitur scala: fune pependit onus.
Calcitrat attracto suspensus poplite: terram
    Expetit: abscedens poplite terra fugit.
Mente scelus sentit, quod non sperârat adesse:
    Immeritæ pœnam mortis obisse dolet.
Spiritus effracto simulac iam gutture cessit,
    Per non legitimas cogitur ire foreis.
Carnifices abiêre loco: petiêre penateis:
    Conscia nec sceleris polluit ora rubor.
Iudicio cæli mors non impunè notata:
    Sanguis & innocui clamat ad astra Dei.
Qui tribuit vitam, manibusq; requiret eandem
    Carnificis: non est occubuisse parum.
Ius etiam facto damnat ciuile Scabinos:
    Sancta nec Hessonis vindice fata carent.
Decernenda Duci mox res offertur Erico:
    Qui tum Vuestualica præsul in vrbe fuit.
Nomine Saxonum princeps; sed munere præsul:
    Claruit ille domi; claruit ille foris.

Ille

Ille Monasteri populis regnabat honore
Pacifico: dixit: iusq; fidemq; volo.
His circunducto tutabor stamine terras.
Illum, qui laceret stamina nosse velim:
Hos igitur propugno, volunt quicunq; decorum:
His, qui maluerint pessima, terror ero.
Iure Scabinorum vos nunc adpello Scabini:
Indice vos proprio suspicor esse reos.
Impulit huc scelerum quae vos violentia? quare
Iuuit in insontis dicere iura caput.
Quos ego? ne faciam quae non sint principe digna,
Vtilius bili constituisse modum.
Credo; nil fuerat turba rationis in omni:
Crediderim cunctos desipuisse simul.
Protinus acclamat Consul, iam crassior olli:
Inter eos praestò Consul & ipse fui.
Vt benè (Praesul ait) nil Consule stultius ipso.
Iudicio rectum statq; caditq; tuo?
Ebrius insontem necuisti: sobrius ergo
Debueras vitam persoluisse viri.
Id iubeo; sanctum quercu depone cadauer:
Membra sepulcrali trade soluta toro.
Linquo tibi vitam: dignus funesta subire
Funera: debueras reddere colla cruci.
Ne careat poena factum: tollatur honoris
Fama: notam facti tuq; tuiq; luent.

Sendenborſtanæ linquetur dedecus vrbi:
Sunt quæ Carnificis nomina, ſunto tibi.
Sic loquitur. Conſul dempto lugebat honore;
Si quis erat: frontem culpa rubore tegit.
Ille Scabinorum turba ſtipatus; eundem
Reſti quem dederat pallidus, indit humo.
Perfidiam faßi pereunt mœrore Scabini:
Dedecus & ſcelerum tempus in omne luunt.
Hæc ſi falſa putes, famam tu conſule mundi:
Falſus ero, ſi tu falſa fuiſſe putes.
Arbor adhuc ſurgit fructu præclara quotannis;
Arbor ab Heßonis funere nomen habens.
Dant lucra mendaces: vbi non ſunt præmia falſi,
Quiſq; ratam verbis debet habere fidem.
Arcani quare iuris deteſtor abuſum:
Ipſe ſed arcani munia iuris amo.
Iuris ad officium Reſpublica deligat aptos:
Indocilis neſcit Scurra præeſſe foro.
Scurra foco præſit: mentem ſoletur Iaccho:
Sentiat æternam criminis ipſe notam.
Ius eſt eximium per ſe: ſtet regula iuris:
Eximij debent iura notare viri.
Si careat Iudex vitijs, regnare iubetur:
Si careat Cenſor crimine, Cenſor erit.
Non ſub iure ſiti, circa ius viuere debent:
Non animi motum, iura Scabinus amet.
Permaneant

Permaneant iusti;fato mulctentur iniqui:
Vel potius fracto corruat axe polus.
Stet sua Iustitiæ ratio;ne concidat axis:
Vel non iuris erunt mœnia;furis erunt.
Dura bonis tandem ceßet Fortuna nocere:
Exilio iuris satque superque datum.
Hac obiter dixi:móns dicere compulit ista
Steuera:Boumbergæ rursus ad arua ferar.
Saltus & angusto petitur Velcarius orbe:
Postea Cotterus nomine montis adest.
Hinc Tilebecani vertex emittit acumen
Montis:& arboreo sydera colle videt.
Hinc Lasbecani radice profunditur Alpha:
Hic patrio nobis iure canendus erit.
Alpha sub accliui defertur fragmina montis
Lauis & aßumpto desinit imbre leuis.
Pagus ab Accipitrum qui nomina mutuat vndis,
Est;Hauichesbecæ nomen habere potest.
Longius adducti discedit fluctibus Alpha:
Et latus ad lœuum serpere spectat aquas.
Dicitur incerto regionum nomine riuus
Alpha:nec ad primum dicitur Alpha caput.
Nomen ab adiuncto sortitur crebrius:æstu
Sæpe perit:siccis aret arena vadis.
Præterit Honboltam;quæ clauditur inuia syluis:
Iste puellarum claret honore locus.

Palladiam casta superat virtute Dianam:
Virginea spernit relligione toros.
Limpida serpentis deglutit flumina Lira,
Iam grauior paruis Alpha superbit aquis.
Praterit audaci Roxellas gurgite pagum:
Pagus & Albachto conditus antè fuit.
Praterit angusto Cumpmani flumine villam:
Hinc Boream contra totus adornat iter.
Qui modico surgit riuus torrente Polenta
Aduolat: hunc domitis excipit Alpha vadis.
Fontibus augetur, simulac descendit ad vrbem:
Mœnia cancellis perfluit, arctus aquam,
Tecta Monasteri bifido diuisa meatu
Irrigat: auersa pinguis ab vrbe cadit.
Herbida Cordeni rimatur pascua fluctu;
Pascua graminei nomine digna soli.
Dum Puer accurrit riuus, defertur in Alpham:
A pueri fertur nomen habere domo.
Tecta graues illic habitant vicina Leprosi.
Alpha sed vlterius ductile vertit iter.
Fertur ad Alripam, duplici quam flumine sectus
Circuit: Amisio fessus in amne perit.
Iam septena gradu transegit millia passûm:
Et totidem: dempto fontis honore cadit.
At non Alpha loco tantùm defertur ab isto:
Pallidus hoc etiam Steuera colle datur.

Proxi-

Proximus ebullit Notileni Steuera claustris
Contiguis nomen donat inesse molis.
Solis ad exortum primo defertur ab ortu:
Postea morbosi fertur in arua Nothi.
Ludinchusiados castrum rimatur arena:
Postea Lippiaco totus in amne perit.
Flammas elicui fumo: Boumberga quòd insit
Versibus, id proprio Steuera fonte facit.
Vt Recolinchusi terras respexit abisse
Lippia, continuo longius amne fluit.
Cominus Ostdorpum, Ranstorpia cominus astant
Fluctibus: Haruesti Lippia radit agros.
Inclita Dorsteni metitur gurgite tecta:
Pontibus vrgetur: carbasa naue vehit.
Rheno proximior Velledæ præterit aulam:
Nomine iam dubio virginis aula latet.
Limite Spelledam sustentant iugera læuo,
Mansio Velledæ, suspicor, illa fuit.
Velledæ Spelleda quadrat; mutato priora:
Arguit hoc ratio nominis, atque loci.
Deferar vlterius: Vesalia fluctibus instat
Lippiacis: Rheno Lippia perdit aquas.
Insula conuentu Rheni sed submouet vrbem;
Insula diuiduo longior amne patens.
Rhenus ab occasu fertur; dimissus ab Euro
Ad Nothon & Boream Lippia fundit aquas:

Rhenus Parrhasia discedit virgine dexter:
Pronius ad Cori flamina carpit iter.
Millia quinque fugit simulac Vesalia passûm
Retro, subit Zanthi Troia: fugatur aquis.
Troia vetustatis prisco signatur honore:
Tempus & antiquum prodere tecta queunt.
Vrbis adhac fragmenta iacent immista ruinis:
Relliquias scindit sollicitator agri.
Millia quinque pedum discedit ab agmine Rheni
Troia: nec ad lœuam fluminis ire potest.
Antea contiguis vallauerat amnibus vrbem
Rhenus: adhuc fossæ signa videre licet.
Dum validos pugna tereret victrice Sicambros
Iulius, hac fluuij tergora ponte subit.
Vrbs sex mille retrò Zanthi dum Troica passus
Linquitur; ad dextram Rhesia spectat aquas.
Tutius hac ageret, si flumine dissita Rheno
Longius, arenti condita staret agro.
Dissidet à Rheno stadijs Calcaria septem,
Et tribus: hanc Rheni cernere lœua nequit.
Rhesia mille decem retrò dum passibus egit,
Quæ subit, à dextris Embrica, nempe subit.
Dum miseras Rheni nescit vitare procellas,
Damna sub offenso sæpius amne tulit.
Quinctiam fluctu tollit vallante plateas:
Amnis & insultum pellere ripa nequit.

Exti-

Extiterant Rheno propiores antea Cliui:
Id statio Rheni prisca docere potest.
Iam procul à Rheni Cliuorum mansio læua:
Illa duo passus mille remota iacet.
Embrica Grathusam stadijs dum submouet octo,
Submouet hanc stadijs quattuor, atq; decē.
Vrbs nimium fœlix Rheni seiuncta procellis:
Fluminis ad læuam subtrahit illa lareis.
Qua patulo Vulpis nomen deduxit hiatu
Insula, diuiduo protinus amne venit.
Insula Grathusæ tectis est dissita paruo
Limite: nam stadijs dissita quinque decem.
Insula viginti stadijs, & tenditur vno
Longa: sed octonis latior esse nequit.
Tecta Telonarum dextris semota videntur,
Illicitis nulli prætereunda scaphis.
Se minus ipse capit, qui sustulit omnia Rhenus
Flumina: non oneri sufficit ipse suo.
Non fluuijs constat: terra vestigat hiante
Aufugium: terra pulsus hiante fremit.
Terra pauet Rheni toties explosa Tridente:
Cedit: iter fluuio præbet; vbique fugam.
Diuiditur Rhenus: fluuio disiuncta bicorni Diuiditur Rhenus in cornua.
Pignora fert: fluuio pignoris ista loco.
Solis ad occasum defertur gurgite Valis:
Et prior est natu Valis: at amne minor.

Valis

Valis vbi Rheno vadit diſſectus, eadem
Parte Telonarum tecta iacere vides.
Inſula diſcedit cognomine prodita Vulpis,
Longius: ad ſpatium reddita iure venit.
Septem Nouiomago diſcedit millia paſſûm.
Nouiomagum læua Valis abire videt.
Vrbs non tota leuat ſurgenti mœnia colle:
Aſt aliqua planum parte lutoſa tenet.
Nil, fateor, Baijs Latio prælucet in orbe:
Nil & Nouiomago Geldria maius habet.
Valis habet dextram, ſed iam Lendina fluentis
Succubuit; Valis merſa furore latet.
Nouiomago centum ſtadijs labente retrorſum,
Teilium ripa Valis adeſſe facit.
Teilio Valis Moſam cedente ſalutat,
Vt quatuor paſſus mille peregit iter.
Mutua iunxerunt ſimulac amplexibus ora,
Inſula diſſolui protinus ora videt.
Hæc ſtadijs centum longo protenſa meatu:
Quattuor ad paſſus mille ſed arcta coit.
Cæruleo læuam diſtendit flumine Moſa:
Cæruleo dextram flumine Valis obit.
Inſula finitur medio dum limite Valis;
Mœnia Bomeli gurgite læua quatit.
Latius aduecta ſubigit dum Naiade fluctus,
Imperio Moſam deficiente capit.

Moſa

Mosa caput fontis Vogesi radice meretur: Mosæ fl descriptio.
Ante Niumburgi castra rotatur aquis.
Gurgite Birienum, Sorsanas gurgite lambit:
Ante Michaëlis tecta profusus abit.
Mœnia Verdeni praclaro praterit amne:
Pulcro Maseriam pulcrior amne rigat.
Eminus Arduenna veneratur iugera sylua,
Historicis passim nobilitata libris.
Iambesium dextra subigit, læuaque Namurcam.
Fluctifer hîc Mosa cornua Sabis init.
Sabis ab Hannonia deducit diuite fontem:
Posteritas Scambra nomen inesse dedit.
Praterit Hoienum modico non agmine Mosa;
Mosa Leodinas inde percrrat opes.
Tecta Leodina pertransit Legia gentis:
Legia praluſtri nobilis amne latex.
Vrtius aduersa Mosam delabitur vrbe;
Vrtius Arduenna flumen ab orbe ferens.
Accipiens Asprum Veseni digerit vndas:
Flumina Vesseni mordicus inde rapit.
Nomine Viseti, qua iam Taxandria pollet,
Vrbs veterum pollet laude: propinquat aquis,
Diues ab antiquo Mastricum tempore surgit:
Illuc Icarium Tungria flumen agit.
Vtraque Falconum simulac ad mœnia cessit
Irriguo Mosam calle Guellus adit.

Gurgi-

Gurgite Stochemum, Masicas gurgite lambit,
Flumina Geleniј flumine Mosa bibit.
Geleniј Sittarda vadis accedit: eodem
Incola Neustadiј visitur amne cohors.
Hinc Stephani curuo circundatur insula fluctu:
Insula Maesbrachti desinit ista solo.
Latius exili dum voluitur impete Mosa,
Diuiduis iterum dißociatur aquis.
Praterit Hornaum læua, quod despicit vndas:
Ast alia Ruram parte superbus habet.
Praterit audaci Gugernos flumine Mosa:
Iulia Gugerni creditur eße domus.
Mœnia Iuliaci simul atque potentia vidit,
Limnichium paruo spectat abeße situ.
Digerit obliquo Vormani flumina tractu:
Eminus Huisbergi culmina stare videt.
Mœnia Rurmundi nomen testantia Ruræ
Praterit: hîc geminus flumine Mosa coit.
Culmina suspectat Castelli nomine clara:
Culmina Venlonum nomine clara rigat.
Flumine Bergaum liquido protensus, ad ima
Rudera Gennepiј ductile vertit iter.
Gennepium fertur duplex: pracurrit vtrunque
Qui gelido cedens amne Niærus adest.
Vrbs paulum ripa Mosæ semota videtur:
Proximus ad Mosæ cornua pagus abit.

Vuachte-

Vachteniduncana veniens tellure Niærum
Nobilis aduectum Geldria flumen obit.
Mœnia Cucani delibat gurgite Mosa:
Rudera Catuici gurgite Mosa ferit.
Plurima Cattorum restant hoc nomina tractu:
Hîc igitur Cattis tecta fuisse liquet.
Mosa situm vasto subigit torrente Grauœnum:
Ante Rauinstani castra profundit aquas.
Castra Batimburgi tumulis imposta salutat:
Ardua Mœgani tramite saxa ferit.
Inde subit Valim: sed mox deflectit eodem;
Et soluto solitum more reducit iter.
Flumina Domelli prædatur fluctibus aucta
Adis: & audaci flumina mole vehit.
Adin ab Australi rapit Osteruichia parte:
Vicus & Eoi nomina solis habet.
Domeli lœuam Campinia præterit ingens:
Dextera Boxtelum sustinet ora iugis.
Alterius dextram Palandia distinet Adis:
Adis ad Helmonti mœnia fundit aquas.
Inde Ducis syluam simulac aduersus obiuit, Hertzogen buisch opp.
Cærula Domeli fluctibus ora subit.
Longius arrepto procedit gurgite Mosa:
Brachia protenso longius amne trahit.
Insula vallanti sepitur flumine parua;
Oesdenium cuius fauce relinquit aqua.

Cominus adparent antiqui brachia Mosæ,
Nunc aliò ruptum Mosa peregit iter.
Alta Leoninæ simulac fastigia rupis
Attigit, arrepti flumina Valis init.
Nec iam subducet sese, velut antea, Vali:
Valis in imperium Mosa sed ire negat.
Valis habet Mosam læua: concurrit vtrunq;
Flumen: & audaci verberat amne solum.
Hic miserum crebro nautis instare periclum
Adsolet: hic truculens subruit ira rateis.
Cogitur innixus prudenti nauita clauo
Arcta per vndisonos ducere rostra Deos.
Non tam Scylla nocet colloso flexilis ore:
Non agili tantum mole Charybdis obest:
Quantum fluctus obest: resoni seu murmura spectē
Amnis, seu rapidi suspicer orbis aquam.
Vel ripis incussa secat vertigo phaselum:
Vel media fluctum parte profunda leuant.
Fœlix vlterius qui non, quam littora, cessit.
Quod si flumen obest, vtpote Pontus obest.
Est hominum tellus; hominum fœcunda vocatur
Mater: & ancillæ munia semper obit.
Nobis illa fauet: sed homo discedit ab illa:
In vetitis audet vela leuare fretis.
Quid non mercis amor, quid non audacia suadet?
Esse quid audaci stultius esse reūar?

Caussa

Caussa tamen fluctus: pugnat cõcursus aquarum:
Imperij caussa digladiantur aquæ.
Horrida ciuili peraguntur prælia motu:
Armat Valis aquam; cedere Mosa negat.
Imperium quærit præclarus origine Rheni
Valis: adhæc Rheni iactat inermis opem.
Rhenus adesse nequit; nam longius effugit ipse:
Seq́; minor, non iam sufficit ipse sibi.
Exurgens animat pugnare potentia Mosam:
Maior enim Vali Mosa, timere nequit.
Mosa necat Valim: pedibus prosternit inermem:
Nec patitur Valis nomen inesse vado.
Illum, propterea, Rheno quid profuit ortum?
Degeneri cedit nobile crebro genus.
Imperio Valis tandem florente potitus
Oceani ritu Mosa Tridente ferit.
Nauifrago victor terret feruore Voricum:
Hæc latus ad læuum mœnia terret aquis.
Oppositum dextra spectat tellure Goricum:
Lingona quod celeri mordicus amne secat.
Amne Batauorum terras rimatur adunco
Lingona: collectis vndiq; lingit aquis.
Inclita Bureni longinquo prospicit arua:
Ductile Bureni flumen ab vrbe capit.
Totus ad Asprani defertur nobilis vrbem:
Postea Lerdamum turbine raptus adit.

Hoclonij ſedeis radit: perrara Dalemi
Culmina laßato defluus amne ſubit.
Poſtquam nauifrago ſucceßit Lingona Moſæ,
Inſula diſſecto murmurat amne breuis.
Inſula diſcedit: repetito iungitur æſtu
Moſa: Tridentiferi pergit adire freta.
Diuite Sleuicum concedit flumine pauper:
Vltima Sleuicum fluminis ora gerit.
Excurſu paßim diſtenditur inſula Moſæ:
Diuiduis paßim terra paueſcit aquis.
Moſæ quod ſupereſt, rapidum deſciſcit ad æquor:
Ripam deſtituens littore Moſa fremit.
Aequore decurrit ſocio dum gloria Moſæ
Vltima, Slidracum littore dextra videt.
Tecta Papendraci tractu ſpectantur eodem.
Diruta Mœruedæ ſubtegit arua Thetys.
Nobile longinquo Dordracum cernitur æſtu:
Cuius in Oceani mœnia parte tremunt.
Ne pereat menſura loci, neglecta recurrat:
Ad ſpatium, cingens omne Matheſis eat.
Alta Leoninæ reuocentur culmina rupis,
Valis vbi Moſa creſcit adauctus aqua.
Illic principium ſtatuatur limitis: vſq;
Vltima Dordraci limes ad arua meet.
Inter vtrunq; locum procedo Matheſios arte:
Ad ſpatium debet ſola venire Thetys.

Partibus

Partibus accedant viginti millia paßûm:
Tot ſpatij metas inter vtraſq; venit.
Iam nunc in calamos reuocentur flumina Rheni:
Officio Valis ſatq́; ſuperq́; datum.
Rhenus ab inſultu Cori diuertit ad Arctum:
Eltenium dextra linquit vtrunq; manu.
In quem deſeruit miſſurus flumina Corum,
Scindere diuiduo cogitur amne ſolum.
Parte Seuendarum dextra proſpectat abire:
Longius Aertanum cedere læua videt.
Solis ad occaſum declinat flumine Rhenus:
Angrenium læua ſpectat abeſſe manu.
Hinc repetit Corum: foſſa diſſectus hianti,
Læuus ad Huſſeniæ mœnia Rhenus abit.
Læuus & aduecto Malburgum præterit amne:
Iſala ſeducto protinus amne cadit.
Antea dimiſit fugitiui pignora Valis
Rhenus: & amiſſo ſtrictior amne fuit.
Iſala longinquo ſemouit tramite Valim:
Iſala mille nouem paſſibus inde ruit.
Et toties ripa qui iam contentus abiuit
Rhenus, in exitium flumina grande ſecat.
Procreat exitium, qui labitur Iſala dextris:
Fonte ſed inuito ſpurius haurit aquam.
Eijcit inuito generatum flumine Rhenus:
Rhenus & amiſſo diffugit amne minor.

Illum propterea Rhenus non contulit vltrò:
Id valido Drusi iure coactus agit.
Qui toties Drusi latuit deuictus Erynne:
Qui toties Drusi Marte subactus erat.
Teutonis agnato mutauit sanguine frontem:
Teutonico visus condoluisse malo.
Horruit audito furialis nomine Drusi:
Hæc fuerat Rheno damna tulisse parum.
Ast alienari, plusquam Natura sinebat,
Flumine, discindi brachia, maius erat.
Non ea Neptunus subduxit flumina Rheno:
Incola nec pelagi sustulit ista Thetys.
Flumina subduxit Drusus: deduxit in æquor.
Caussa tamen facti penè probanda venit.
Bructeriam bello simulac vrgente timeret,
Bructeriam contra Drusus adegit aquam.
Eruta diuulso seduxit cornua Rheno:
In qua non voluit cornua Rhenus abit.
Quæ tum fossa fuit Drusi, nunc Isala fertur:
Hæc quoniam Drusi facta labore fuit.
Isala turgescit latus iam nomine Drusi:
Et meritò: Drusum iure parentis habet.
Destituens Rhenum nullo dignatur honore:
Calle parat primo Solis adire iubar.
Ne Rheni reddatur aquis, dat dissita Rheno
Terga: procul Rheni mittit abire latus.

Rhenus

Rhenus in occasum lacerato diffugit amne:
Tendit in exortus Isala: curuat iter.
Est locus ad lœuam, qui dicitur angulus: illi Isel orde.
Isala subducto nomen ab amne dedit.
Vuesterfurda subit; Zephyri traiectus in orbem
Dicitur: ad dextram culmina spectat aquis.
Isala dextrorsum Nabathæo deuiat ortu:
Parrhasios contra tentat abire polos.
Candida Doesburgi veneratur candidus arua:
Frigida Vuestualiæ frigidus arua videt.
Passus mille nouem Doesburgi diffluit oris
Rhenus: & abstracto lentior amne fugit.
Isala Doesburgum præcurrit nobile dextris
Partibus: antiquæ rudera sedis amat.
Vt videas quantum recta declinet amussi
Isala, dum specie labitur vnda tuba:
Embrica Doesburgo stadijs est dissita centum,
Si pede, vel curru competit ire viam.
Si placeat flumen lembo sulcare palustri;
Octodecim passus mille fluenta dabunt.
Annatat antiquus Doesburgi mœnia fluctu
Isala; quem nitidis innatat Alpha vadis.
Fontem Vuestualicis educit tractibus Alpha:
Iugera Veleni diuite radit aqua.
Cernitur allati Ranstorpia fluctibus Alpha;
Pascua Gameni fluctibus Alpha rigat.

Flumine Burcanum fœcundans diuite, Rheam
Exigua pulcram ſede venuſtat aquis.
Eius & obſequio Bocholtia vapulat amnis:
Arbor ab euentu fagina nomen agit.
Alpha ſed vlterius dum præpete labitur vnda,
Iſala mox ſenior deuorat eius aquam.
Iſala Vueſtualici delabitur æquore ruris:
Ad Mariæ vallem pronus adornat iter.
Defluus auerſo Ringbergam deſerit amne:
Culmina Dungeni longius amne rigent.
Et Verdumbrochiæ defertur ad atria; Verdam
Prætereuns ſegni rura palude tegit.
Iſelburgiacæ cognomina deſtinat arci:
Totus Anholdinæ tecta cohortis adit.
Culmine Lancfurdi ſimulac deſciuit, ad Alpham
Peruenit; hunc rapido dexter vt amne bibat.
Præterit Vlſtanum: Cygni defertur ad arceis:
Mœnia Burgiacæ ſpumifer vrbis obit.
Præterit Olſtanum labente citiſsimus vnda:
Ad Dotichmeni tecta feracis abit.
Cominus audenti Capelinum gurgite lambit.
Mœnia Doesburgi cominus alta ferit.
Hic nouus & ſenior coniungunt Iſala fauceis:
Iunior aſt patulo digerit ore ſenem.
Iunior Auſonij nam dicitur Iſala Druſi:
Hic opera Druſi iectus, vbiq; fremit.

Aſt

Ast alium Natura dedit, qui dicitur æquè
Isala: sed senior, tempore; rarus aqua.
Præualet hoc senior, quod nomina mutuet eius
Iunior: hoc etiam nomine flumen amat.
Quò veniat tandem, qui terminat omnia, finis;
Iunior in calamos Isala rursus eat.
Læua Deirenum subterfluit Isala longè:
Culmina Spancraniæ longius esse videt.
Parte Steenderam dextra prospectat abesse:
Optima vix fluuius cernere castra valet.
Obuiat auersus Brunchorstia fluctibus vrbe:
Isala dextrorsum prospicit ire lareis.
Inferius paulò Brumenum prospicit: eius
Tecta sinistrorsis spectat adesse vadis.
Longius auerso Vichmondum flumine dexter
Destituit: pagi tecta subire nequit.
Limite Doesburgi Brunchorstia longius extat:
Nam quatuor passus mille remota venit.
Viginti stadijs Brunchorstia semouet vrbem,
Bercola quam liquido Vuestualus amne subit.
Bercola diuersæ sortitur nomina vocis:
Quinetiam fonteis connumerare grauor.
Pascua Spechusi primò sunt peruia fonti,
Adpositum lardi nomen adepta domo
Vnda, lacum, crescens, veluti piscina, restagnant:
Nomen ab Holthuso mutuat orbe lacus.

Hinc aliam vasto reficit feruore paludem,
Quæ geminis nomen sumit inane molis.
Bidrebeca molis vicino proxima calle:
Destinat in medio semita calle lacum:
Limite deducens Hameranum semita recto,
Ad streperas amnem spectat abire rotas.
Bidrebeca tribus generet quòd fontibus vndam,
Fontibus accepit nomina ferre tribus.
Vrbis id antiquæ confert insigne; quod illic
Triplicis in clypeo linea conspicit aquæ.
Bercola procedit: trini prædatur & amnis
Flumina; prolabens ductile flectit iter.
Præsulis acceptat Ludgeri postea riuum:
Nomina de puteo Præsulis iste capit.
Bercola Ludgeri transgressu nobilis olim:
Proxima quem meruit cernere turba mori.
Vir nimium dilecte Deo Lugdere: tulisti
Primus Vuestualica Præsul in vrbe fidem.
Bercola sortitur, quod dat Vorlonia flumen.
Ista Monasteri clade notatur humus.
Cladibus extremum tribuit Varlonia finem;
Præsule dum gemino dimicat ira patrum
Prælia pugnando septem ducuntur in annos:
Cuius & hinc clypeum, Clerus & inde tulit.
Hinc egit Valrauus; agebat Ericus & inde:
Ciuibus hic, Cleri partibus ille fauet.

Am-

Ambo iacturam fecerunt corporis: ambo
Belligera turbas ambitione dabant.
Prælia finali dirimit Vorlonia strage:
Clerus & euicto carbasa ciue tulit.
Imperium Valrauus init deuictor Erici:
Illum Mœrsa sed hunc fascibus Hoya dedit.
Neutra sed hoc acies abijt discrimine læta:
Victor & exitij semina victus habent.
Bercola collecto rapitur dum latius amne,
Ex alia ruris parte receptat aquam.
Illa sed exurgens Hamerani prodita campo,
Vndisona castrum deueneratur ope.
Eruta metitur castrensis rudera fossæ:
Hîc geminas vno circulat amne molas.
Flumine Luthanas riguo perfertur: & illic
Talibus augeri Bercola gestit aquis.
Sed non ante fuit, fertur quod Bercola nomen: De Burscop Luthẽ
Nomen at incertum contulit ora loci.
Dum tot colligitur riuis, tot flumina passim
Digerit, arrepto clarior amne fluit.
Excipit herboso Cœsueldia iugere flumen:
Vrbs veteri credit numen inesse Cruci.
Crux etenim cœlo fecit mirante stupenda
Signa; quibus cœci lumen habere queunt.
Signa; quibus surdi capiunt audire frequentes:
Signa; quibus muto sæpe loquela cedit.

Crux

Crux stabilit claudum pedibus: ventura retrudit
Fata: nihil morbo iuris inesse sinit.
Frangit in hostili vinclorum carcere nexus:
Vindicat obsessos Dæmone: monstra fugat.
Propter ligna Crucis dependent vincula, ceræ,
Arma: quibus nullo stat dubitante fides.
Cognita sparguntur toti miracula Mundo.
Crux non immeritò Numinis instar erit.
Quòd modo deficiat triplicis reuerentia ligni,
Impietas Mundi relligiosa facit.
Bercola prælustri simulac desciuit ab vrbe,
Gescareas cursu tentat adire casas.
Statlonium læto petitur torrente: Vredena
Ingenua pollens virginitate subit.
Bercola fragmentum desertæ præterit arcis:
Arcis & antiquæ rudera purgat aquis.
Præterit Eyburgum: Bercloui præterit ædes:
Flumina Grollorum limite ducta rapit.
Mœnia Lochemi, Galilææ culmina linquit:
Pondere laßatur fluminis inde sui.
Omnibus occurrit Zutphania viribus amni;
Bercola dum Zephyri partibus vrget iter.
Pronus ab vrbe cadit, quà sternitur Isala ponte:
Longius amisso desinit amne vehi.
Hoc melior fluctu Rheni deuincit honorem
Isala: natali grandior amne tumet.

Vigin-

Viginti stadijs simulac Zutphania quinque
Et totidem, retrò grande peregit iter:
Fluminis imperium Dauentria pontibus arctat:
Mercibus emporium sustinet; arte scholas.
Vrbs residet; præclara situ; præclara plateis.
Isala nil celebri grandius vrbe videt.
Vrbis ab aduersa consurgunt horrea parte;
Horrea Trititiæ fructibus apta Deæ.
Isala paulatim dexter diuertit ab Arcto:
Nubifer hunc gelido Circius orbe capit.
Læua Tuoldenium discedit: Vuelsena læuam
Occupat: Olstanum surgere dextra notat.
Vigionum dextra simulac deprændit abiße,
Isala, Vesreniam cernere læua potest.
Gristius Hulsbergi deducit iugere flumen:
Et varie lectu flumen adauget aquis.
Arua pererrauit simulac vicina, sinistram
Isala puniceo subruit amne tuam.
Vt sex & totidem ceßit Dauentria mille
Paßibus, Hattemum flumine læua videt.
Hinc locus occurrit claro sortitus ab amne
Nomen: amat claustri læua rigare locum.
Zallichium tractu propius contendit eodem
Isala: Vilsenium turbine dexter obit.
Insula diuiduo circundatur obuia fluctu:
Illa sed vnito protinus amne perit.

At et

Ater ab Hattemi, quum sedibus Isala mille
Quattuor, & totidem paßibus egit iter;
Obuia ripali Camporum mœnia campo
Sustinet: ad læuum sustinet ista lat-us.
Quattuor vt stadijs, totidemq́; profunditur illinc,
Præda fit Oceanis Isala prædo vadis.
Vnica lapsuris non obuiat insula lymphis:
Inter at obstanteis plurima mugit aquas.
Tot rapido fluctus iam qui seruore subegit
Isala, Neptuni tergore septus obit.
Qui toties nauta fregit mœrente carinas,
Eius in vltori mergitur vnda salo.
Sic qui regna domant reges, & mœnia sceptro
Subijciunt, preßa luxuriantur humo.
Sunt domini rerum: quò Sol exurgit Eous,
Quò cadit Occiduus limite, regna tenent.
Nulla timent ipsi, cùm sint vtraque timendi
Parte: nec inuerti prospera poße putant.
Flagra Deus tandem regni mutator adornat:
Flagra, quibus regum corda domare solet.
Ex improuiso bellum molitur iniquus
Barbarus: ex nihilo prælia sæuus agit.
Vindice securos inuadit milite regeis:
Grande per imperium fulminis instar abit.
Regna domat; regeis victrice potentior ira
Eijciens regno vincla subire docet.

Antea

Antea regnator fatorum numine princeps,
Postea fatorum numine seruus agit:
Isala sic etiam, sic Rhenus & ardua mundi
Flumina deuicto largius amne tument.
Paruaque prædantur dominanti flumina sceptro:
Edomitis passim luxuriantur aquis.
Oceani tandem fluctus coguntur inire
Imperio cedunt deficiente mari.
Acri naufragus, quà conditur Isala, ponto
Aduena prorumpit diuite Vidrus aqua.
Parte cadit dextra Vidrus: finitur eodem
Isala quo perijt lubricus ante sinu.
Hunc aliter Vechtam clari dixere nepotes;
Antea qui veterum nomine Vidrus erat. Vidrus fl.
Treis numero fonteis confert Darueldia Vidro:
Grot houij villa primus adornat iter.
Burloniam paruo subigit torrente minorem
Et streperas vnda gyrat eunte molas.
Ieruordingiaca fertur tellure secundus:
Atria Rocholti paupere lambit aqua.
Atria nobilium Falconis habentia nomen
Præterit: ac nitido circulat amne molam.
Tertius hunc subigit, qui collibus editur Annæ:
Annæ fana iugis subdita penè iacent.
Fana peregrinis magno lustrata fauore,
Maceriem saxi semisepulta ferunt.

Quà

Quà steterant aræ, fœnum præsepe ministrat:
Quà cecinit templi flamen, adhinnit equus.
O populi mores: ô detestanda malorum
Hæresis. Ah nebula vanior extat homo.
Aequat templa solo, Christi sunt pectora, clamat,
Templa: nec ex hominũ pectore templa facit.
Tres simulac iuncti sociarunt basia fontes,
Vechta suo primùm nomine notus abit.
Eminus aduecto Scoppingia linquitur amni:
Eminus Egradi culmina stare vides.
Pago nobilior retinet Scoppingia dextram:
Pagus at Egradum læua per arua fugit.
Mons intermedio discriminat oppida colle
Bina: quater passus mille remota iacent.
Vrbs est, valle iacens Horstmaria prospicit ortum:
Sicca solo, quamuis valle supina cubat.
Vilior ex alto Scoppingia margine surgit.
Solis ad occasum cernua valle iacet.
Hac in parte tamen vicina præualet vrbe,
Quòd proprium monti nomen inesse facit.
Monte Monasterij turres spectantur ad Eurum:
Centum qui stadijs dißidet inde locus.
Vallis & at boreo densatur aquatica fœtu:
Nudulus at fruticum semina præbet apex.
Fontes valle natant liquidi: quos dextera Vechtæ
Accipit: accepto ditior amne Vidrus.

Fons

Fons est: hunc celebri Scoppingia parturit æde;
Aede tamen vici non subeunte locum.
Illum præ reliquis veneratur dextera Vidri;
Quamuis adueniat paupere clarus aqua.
Nobilis abluitur Metilonia flumine Vidri:
Langenborstana manat ab æde Vidrus.
Auctam Vidrus habet Scalfurdæ fluctib. Alpham.
Laris in affini nascitur Alpha iugo.
Orbita carpenti fontem deducit ab ortu:
Curribus egestum semita pandit iter.
Amne licet paruo fluuius rimetur arenam,
Vastas perpetuo circulat amne molas.
Quamuis arua graui denudet Sirius æstu,
Alueolo nunquam deficiente manet.
Limpida sacrato deducit flumina Campo.
Campus at horrendæ nomina laudis habet.
Quem simulac rastris vellent versare coloni,
Colluuies sulco sanguinolenta stetit.
Quin, aliâs vomer tonitru dißectus biulco:
Agricola strati deficiente boues.
Fama dat Eualdos fidenti stipitis ictu
Contiguo fonteis elicuiße iugo.
Laris & instinctu fratrum tunc credula Christo:
Tunc meruit Christi prima subire fidem.
Campum præterea, fonteis qui deuehit Alpha
Agricolæ fratres vota subire vetant.

V Hinc

Hinc est relligio committere semina Campo:
Campo, qui Cereris semina ferre nequit.
Sed potius debet pecorum seruire magistris:
Iustior vt ratio pauperis esse queat.
Libera vicinæ linquuntur pascua genti:
Quæ veniunt gratis pascua, nullus emit.
Caussa fuit fontis: populum languere videbant
Fratres: nec viduæ fluminis esse micam.
Quot baculi pulsu fregêre foramina saxis,
Tot liquidas Alpha saxa dedêre vias.
Hinc domini fontis, domini censentur & arui
Teutonicæ fratres relligione sacri.
At Scalfurda datur sub Homodi vertice collis:
Culmina Tamingæ fluctibus inde rigat.
Iuxta Loubouij villam defertur in Alphæ
Flumina: dextrorsum fluctibus Alpha tumet.
Eminus abscedit Borchorstia partibus Alphæ;
Virginea claustrum relligione nitens.
Alpha sinistrorsum celeri dum voluitur amne,
Protinus Oesteri cornua fontis habet.
Cominus accedit Stenfurdia fluctibus Alphæ:
Gurgite Vuettringam verberat Alpha suo.
Præterit Onæum: Scuttorpi præterit oras:
Ditia Northorni fluctibus arua ferit.
Frensbergas circa defertur ad ostia Vidri:
Hic latus in dextrum desinit Alpha Vidri.

Vidrum fluminea descendit Dincola mole:
Dincola puniceo clarior amne latex.
Vastos fœnifero deducit ab æquore fluctus,
Vnde Barenburgi prata venustet aquis.
Dincola prospectat Leddeni culmina longè;
Culmina Leddeni longius amne sita;
Lambit Egelburgi castrum: rimatur arenas;
Alueolo ripam luxuriante rigat.
Marcida deducit Leddano flumina monte:
Cadere quo Lapides accola monte solet.
Fluctifer exceptat Dusterium Dincola flumen:
Dincola Dustero destinat ire comes.
Nomen contiguo Dusterus mancipat agro:
Contiguis nomen donat inesse molis.
Ocyus vndisono, dum Dincola gurgite fertur,
Horrida traiectu Dæmonis Heca subit.
Inde Niumburgas, hinc & defertur Epanam
Dincola: Gronouia dissecat inde plagas.
Postea miscetur Vidro, post culmina castri,
Nomina quod domui præstitit apta noua.
Isto læua Vidri potior dum flumine gestit,
Mox Emelinchusi tecta ruentis obit.
Laranam spectans quod dat Couurda fluentum
Accipit: accepto ditior amne volat.
Gurgite Gransbergas, Hardburgum gurgite lābit
Ommenium dextra gaudet abire manu.

Dum ruit vlterius, dum pascua fluctibus ornat,
Regula pernici defluit acta pede.
Regula Lisnero deducit flumina saltu
Prima: nec ex alto flumina fonte petit.
Nobilis hanc placido sortitur Ahusia ductu:
Sæpius & valido flumina ponte tegit.
Peruia castrensi miscentur flumina fossæ:
Castra tamen cingit more paludis aqua.
Nascitur accessu pluuiæ; sed deficit vndis
Regula, dum pluuio Sirius imbre caret.
Læua Vessemiam, longè sed Regula linquit:
Præterit Alstadium proxima; vallat aquis.
Innumero tellus passim torrente foratur:
Quemlibet audenti Regula fauce bibit.
Præterit Hoxbergas; & amico proruit amne:
Amne Deponhemi rura feracis adit.
Culmina Gororum pertransit, condita Goris:
Fertur ad Enteriæ culmina: fertur aquis.
Præterit obliquo Grimbergas flumine: flumen
Puniceis infert Almeloense vadis.
Plurima signari fluuiorum nomina possunt:
Omnia signari nullius arte queunt.
Pulcra Viderdanam fœcundat Regula fonte:
Fonte Scholumburgi tecta nitentis adit.
Rhaiam suspiciens, Lemleri fragmina montis
Suspicit: ad læuam fragmina montis eunt.

Ommenio

Ommenio Vidrus ſimulac diuerſus abiuit,
Vrbe ſub Ommenio Regula perdit opeis.
Parte Vidrum læua ſubigit: progreßus eundo
Rechtrenium læua Vidrus adeſſe facit.
Dextra Dalpſenum, Rût bergas cernere læua
Progreditur: claudi ponte tuetur aquas.
Montani ſimulac abijt ſub culmina clauſtri,
Flumina Suollorum ſedibus acta rapit.
Præterit Heindanam fluuius, qui dicitur Alpha:
Mœnia Suollorum diuite ſcindit aqua.
Ille latus Vidri læuum defeßus adauget:
Hinc ſolita Vidrus mole fluenta rotat.
Hîc Phryſiæ terras dextra rimatur amußi:
Diuitis ad Phryſiæ paſcua tendit iter.
O Phryſiam tractu cœli florente ſecundam:
Siue colis ſegetum iugera; ſiue boum.
Præfuerat Vidro quondam Rabodus auita
Gente nitens: illi ſceptra Phryſonis erant.
Rex fuerat: nullo regem præſtabat honore:
Rex fuerat: verùm paupere dignus hara.
In noua ridentis meritò diuerbia ceßit:
Si malus eſt quiſquam nomina regis obit.
Peßimus effertur Rabodi nomine ſcurra:
Hoc piger, hoc nebulo nomine dignus eat.
Poſtea Rabodi vitium ne deleat ætas,
Criminis exemplum dicere cauſſa iubet.

Dum Phrysijs inferre Dei Vilbrordus ouile
Pergeret; ac Stygij tollere sacra Iouis:
Admoniti quamuis vellent parere Phrysones,
Ne gereret morem turba, Tyrannus agit.
Hunc lachrymis Præsul; bello Martellus adegit
Christigenæ tandem vota subire gregis.
Rex fidei partim doctus præcepta, lauacro
Sistitur: ad gremium pectora nudus erat.
Dic age (Vilbrordo loquitur) Baptisma quid ipsum
Expedit? Effatur Præsul: ad astra leuat.
Rex iterum: nostri quò tunc cessere parentes?
Præsul adhæc: verbo fata tulere Dei.
Rex ait: euentu vestigia subsequar horum
Quolibet. Ergo petes Tartara? Præsul ait.
Infera sponte sequar; si patribus Infera cedunt:
Rex loquitur. Præsul dicit: acerba crepas.
Tartara fastidit Rabodus: sydera spernit:
Et polus & vacuum Tartara nomen habent.
Fonte pedem retrahens, sinui repetebat amictum:
Impia Baptismo subdere colla negat.
Præsule discessum molitur transfuga spreto:
Sperne Deum, Præsul fatur, Auerna leges.
Quò periture fugis? saltem tibi prouidus esto:
Quo tua luxuriet cardine vita notes.
Te fugis; haud Christum: mitescito: conscia culpæ
Mens moueat: fletu vel moueare meo.

Rex

Rex loquitur. Nostru adigi desiste periclū:
Et tua quid refert si cado? viue tibi.
Præsul adhæc: tempus veniet fortaße dolorum,
Vt rigor haud minimò veneat. Ergo redi.
Rex iterum: talis cantatur fabula surdo.
Hæc feret interitum fabula Præsul ait.
Præsul habet Nolam dextra: quaßabat eandem.
Talibus ad regem clamitat ergo modu:
Ceu sonitus pulsa desciscit in aëra Nola;
Nec redit: hoc abeas more: nec esto redux.
Id tibi prædico; lux viuum tertia cernet:
Lux quoque defunctum tertia morte gemet.
Impius auerso derisit singula vultu:
Dum nihil expendit iurgia vatu, abit.
Regia regali peragit conuiuia sumptu,
Nil agit in stupido tertia corde dies.
Ter datus Oceano, ter eodem redditus exit
Sol vbi, rex inter pocula raptus obit.
Terruit horrendo Rabodus funere mundum:
Mox fidei claßem cepit obire Phryso.
Regis adhuc nomen taxant ferale Phrysones.
Et Vidrus hac obiter dicere, caußa fuit.
Vidrus it Haßeldam: nigri descendit ad amnis
Claustra: locum dextro spectat vtrunque loco.
Prodita Meppela prædatur flumina terris
Vidrus: & atrato nomen ab amne capit.

Aequoris incursu Gelmudi mœnia lœuo,
Alluit: æquoreo præda fit inde mari.
Isala coniungit grandi sic brachia Vidro:
Occanis vnâ concutiuntur aquis.
Parte sui magna Rhenus cogatur abesse:
Quæ superest nomen parte superstes habet.
Partibus Arnemum veneratur nobile dextris:
Præstant Cæsareæ mœnia nomen auis.
Solis ab occasu partim curuatur in Austros:
Eldenium lœua spectat abire manu.
Fluminis exornat Vaganum dextera Rheni,
Quando decem passus mille peregit iter.
Oesedium leua simulac accessit, eundo
Flumine curuatur flexilis instar aquæ.
Hinc Zephyrum gressu repetens, diuertit eòdem;
Circius, aut domitor turbine Corus adest.
Dicta suo spectat iam nomine mœnia Rhenus:
Rhenē opp. *Ad fluuij dextram tecta nitere vides.*
Fluminis exornat perituri Vichia dextram;
Vichia prælustri nobilis amne sita.
Hæc stadijs centum Vagano dissidet vrbe.
Hîc senior Leca Rhenus ouante perit.
Leca cadit Rheno; Rheni prædatur honorem:
Ex minimo maius flumine flumen habet.
Antea duxit aquas; tenui sed egentior amne:
Quæ tulerat, Rheno flumina dante tulit.

Quod

Quod superest, Rheno tandem detraxit: inanis
Rhenus abit: Rheni Leca superbit aquis.
Ardua permagno deuoluit cornua fluctu:
Sortis & antiquæ desinit esse memor.
Defluit extensus Zephyro nunc obuius: Arcti
Nunc loca, nunc Cori dissecat arua minax.
Parte Culinburgum læua spectatur: eadem
Obueniens ripam parte Vianda colit.
Mille decem passus isto creduntur abisse,
Vichia quo celebris constitit antè loco.
Vt stadijs centum fertur liquisse Viandam,
Ceu meruit, pelagi Leca subintrat aquas.
Alluit aduerso Dordraci mœnia fluctu:
Mœnia Dordraci præpete clausa mari.
Corus ab hyberno mittit dum flamina tractu,
Aspera naufragi suscitat arua salis.
Leca statim Cori buccis opposta retrudit
Aequora: dissidijs intumet ira freti.
His pereunt pagi, pereunt euulsa procellis
Oppida: relliquias cernere nemo potest. Anno Dn.
Sex & dena simul vidit delubra Deorum, 1520. Apr. 17
Incola Dordraci Thetyos amne premi.
Plurima mortalis perierunt millia turbæ:
Omnia momento temporis vnda tulit.
Omnia disrupto tempestas aggere fregit,
Dum mora non populis suppetit vlla fuga.

Infœlix hominum facies;delubra petuntur:
Altius excelsa tollitur ade salum.
Quem casa defendet?superātur ab æquore turres.
Quem iuga defendent:altior vnda iugis.
Clamor abit pelago,qui Tartara flectere posset:
Voce nec humana flectitur ira maris.
Occupat hic cunas:Fortunæ plurima debet,
Si manet:hic villæ tegmina vector obit.
Hic veluti tergo Delphinis,ab arbore fertur:
Heu miseris magno vita labore stetit.
Horreat auditu,si quis non viderit ista:
Risor & irati desinet esse maris:
Prædatum simulac iret bellator Athænas
Zerxes,veligerum scomate lasit iter.
Ponte ligabat aquas:Seston coniunxit Abidos
In pelagi regnum saxa refudit Athi.
Ceu domitor ponti,decies centena virorum
Millia,sed ratium Doride trina tulit.
Sufficiens tanta vix est Natura cohorti:
Turba vel Aegæo grandior amne fuit.
Flumina carpuntur;depasti militis haustu,
Legitimis riui destituuntur aquis.
Reppulit oppositis ventorum flamina scutis
Nec stolida Zerxes mente futura notat.
Hellespontiacis inflixit vulnera labris:
Neptuno colaphos intulit;arma salo.

Infre

Infrenata iocis irrident agmina pontum,
Cæruleos gaudent sollicitare Deos.
Nec Zerxes tanti delusit præmia fastus:
Ludibrium toto victus in orbe fuit.
Omnia nauali deperdit robora bello:
Agminis & miseri copia cessit aquis.
Ille mari pulsus, terra deuictus abiuit:
Nec dedit hospitium terra, nec vnda maris.
Tunc didicit Zerxes, quid sit cõtemnere pontum,
Zerxis & exemplo nauita discat idem.
Tristia Neptuni Dordracum funera nouit:
Tristis ab exemplo cogitur esse suo.
Ad motum nitidæ decrescant æquora Phœbes,
Restitui tellus amne profusa nequit.
Horrendæ visu surgunt ex æquore turres:
Aequoreis pinnæ concutiuntur aquis.
Hæc fuerat tellus hominum, non Proteos altrix:
Carpathio tellus non adeunda Deo.
Nunc aliter visum Superis: mutare creata
Sæpius, imperium vertere fata solent.
Halciones rupto texunt in littore nidum:
Mater vbi pullis struxit Alauda torum.
Aere quas Cornix inuaserat improba turris,
Nempe Fulix illas cingit, amica freto.
Signa dat aurarum, qui mergitur æquore Mergus,
Quà leue mercator gressibus egit iter,

Pigno-

Pignora Nereidum venatur Miluus ore;
Qua Volucrem Nisus parte petebat auem.
Hic vbi ruricolæ legerunt pascua tauri;
Phoca Mephytæo spurcat odore salum.
Naias inuadit nemorosi corpora Panis:
Nereis & Satyro destinat ire comes.
Cum Faunis Clotho ludit regina profundi:
Triticeam Tethys velat aquosa Deam.
Oceani moles gyrat Balena procellam:
Et vitrea pristis sede recepta madet.
Horrida nauales ascendunt æquora proræ:
Qua ratu est, hominum desinit esse via.
In theatro mundi casus quicunque tuetur;
In theatro mundi mira videbit agi.
Omnia mutantur; tellure Tridentifer illa
Nunc habitat, cuius sicca iacebat humus.
Anchora deserti fundatur margine templi;
Cuius in vndisono fragmina colle iacent.
Mole quis aggesta Neptuni cornua franget?
Cornua Neptuni frangere nemo potest.
Vasta quis armabit duranti littora vallo?
Diruta coguntur cedere valla mari.
Esse quid horrisono væsanius æquore dicam?
Esse quid hostili sæuius amne feram?
Si fugias ignem; fugiendo vincitur ignis:
Aequora si fugias, præuenit vnda fugam.

Si be-

Si benè seruetur culmen; vix læditur igne:
Robore tuta suo, voluitur amne domus.
Carpitur infuso populatrix æquore flamma:
Præualet iniecto fortior igne Thetys.
Sunt loca, si flammam torques, non peruia flāma:
Fit via vi, simulac arripit vnda viam.
Tecta ruant flammis; vitam seruare licebit:
Culmina, res, vitam destruit ira maris.
Pessima vitantur prudenti funera sensu:
Lethiferi nullis cedit acredo freti.
Præscripsit legem quamuis Natura profundo,
Se tamen inscribi finibus vnda negat.
Viuite fœlices sicco sub cardine gentes,
Nemo Batauorum sorte quietus agit.
Fœlix est nimium, qui diuitis accola glebæ,
Accola quàm rapidi maluit esse salis.
Leca Batauorum simulac prorupit in æquor,
Aequore non misero segnius ipse nocet.
Rupibus insultat; Neptuno suscitat iras;
Oceanis donec debilitetur aquis.
Paruula labentis repetantur brachia Rheni:
Carmen vt alueolo compleat ipse meum.
Vichia Traiecto concedit florida Rhenum.
Nobile Traiecti visitur esse decus.
Rhenus ibi tractu flumen deperdit vtroque:
Flumen & in fluuios paupere fundit aqua.

Par-

Parte facit dextra Vechtam: rinmat ur agellos:
Et tenui Vechtam fossa liquore vehit.
Flumine Marsenas Bruclouium flumine lingit
Vechta: sub Arctoi labitur aru a poli.
Paruula dextrorsum deducit ab æquoris vnda
Flumina: Vesopum paruulus inde subit.
Candida Mudeni postquam sub mœnia cessit,
Aequoreis flumen conciliatur aquis.
Isela Traiecto fossam deducit ab vrbe:
Nomina Traiecto forsitan inde manent.
Fossa latus Rheni laniat deducta sinistrum:
Exiguas Rheni depopulatur opes.
Quos potuit secum defert impunè liquores:
Isela quos celeri digerit inde fuga.
Iselstein. *Isela festinat proprij sub nominis arcem:*
Candida Montfurdi candidus arua fecit.
Solis ab occasu nitidi decurrit, ad Austrum:
Iselmundana subruit arce fretum.
Alueoli parteis simulac excussit vtrinque
Flumina Traiecto Rhenus ab vrbe trahit.
Robur at amissi crebrò dum cogitat amnis,
Exigui Rhenum fluminis vsque pudet.
Vix cernenda manēt veteris vestigia fossæ:
Vix tenui Rhenum fossa liquore vehit.
Peruia submisit ratibus qui cornua quondam;
Peruia iam tolerat gressibus esse pedum.

Vor-

Vordina succurrit Rheno: non adijcit vndas:
Sed famulis Rheni gaudet adesse labris.
Vlterius fluctu simulac defertur inani
Iam tacita Rhenus mole fluenta regit.
Dum lacera vasto quatitur telluris hiatu;
In media flumen perdit vtrinq; via
Rhenum Leda capit, Ledæo pulcrior ore:
Leda platearum labe remota nitet.
Leda dat extremum Catuico flumina Rheni:
Flumina Catuicum mancipat inde freto.
Antea collecto fuerat qui flumine magnus
Rhenus; in Oceani defluit ager aquas.
Omnibus augeri tandem quid profuit vndis,
Omnia si truculens digeret ira sali?
Ne pereat mensura loci; perlustro Mathesin:
Sedula mensuram fallere Diua nequit.
Vichia Catuico quantum discedat ab vrbe,
Computo: sic igitur computus esto viæ:
Centum ter stadijs Catuico Vichia cedit;
Vichia Catuico notior vrbe locus.
Vrbe sub illustri consistit littore castrum;
Rhenus in Oceanum margine cuius abit.
Quò veniat nostri tandem mensura laboris;
Carminis & Rheni meta sit vna mei.
Destituo Sphæram: grateis exoluo Mathesi:
Restituo grateis Calliopæa tibi.

Con-

Constitui sedeü propter segmenta viarum:
Qui studium carpat, forte viator erit.
Nil timeo, fultus virtute Mathesis ad vnguem:
Suppetias prabet Calliopœa mihi.
Primitias magno, fateor sudore peregi:
Plaudite Musarum numina: finis adest.

Epilogus libri vltimi.

Quanto scire cupis Vesalia limite distet,
Donec in Oceanum flumina Rhenus agat?
Accipe Catuico discedat Lippia quantum:
Inter vtrunque tibi certa notabo locum.
Sint nonaginta, quatuor sint millia paßûm,
Catuicum stadijs Lippia quinque dabit.
Arcibus vndarum curuatur semita Rheni:
Longior adparet fluminis ergo via.

Finis vltimi libri.